PETRI FRANCISCI CHIFFLETII, ... OPUSCULA QUATUOR. 1. DE SANCTI DIONYSII...

Pierre François Chiflet

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
32 B
24

M

Digitized by Google

Digitized by Google

PETRI FRANCISCI CHIFFLETII, VESONTIONENSIS,

Societatis Jesu Preſbyteri,

OPUSCULA QUATUOR.

I. De ſancti Dionyſii ætate, totáque Chronologiâ, quo & ſuus Pariſienſibus confirmatur Areopagita, & huic libri ſui vindicantur.

II. De unâ ſanctâ Syrâ ſeu Syriâ Virgine.

III. Origo prima Comitum Valentinenſium ex Pictavenſibus.

IV. Excerpta ſingularia ex Collectaneis de Vitâ & rebus geſtis ſancti Bernardi Claravallenſis Abbatis, auctore Gaufrido Abbate, quondam illi ab Epiſtolis.

ACCESSIT

Appendix de Concilio Niumagenſi anni DCCCXXI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,
Sumptibus GABRIELIS MARTINI, viâ Jacobæâ, ſub aureo Sole.

M. DC. LXXIX.

CUM PRIVILEGIO REGIS, ET FACULTATE SUPERIORUM.

ILLUSTRISSIMO ECCLESIÆ PRINCIPI

CAROLO MAURITIO

LE TELLIER,

REMENSIUM ARCHIEPISCOPO DUCI,

PRIMO FRANCIÆ PARI,

Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legato nato,

GALLIÆ BELGICÆ PRIMATI,

Magno Regiæ Capellæ Præfecto, &c.

TUA nunc res agitur, ARCHIPRÆSUL ILLUSTRISSIME. *Hincmarus Remenſis*, *deceſſor Tuus*, *in Pariſienſis Areopagitæ pro-*

pugnatione, quâ egregiè perſunctus eſt, aut erroris, aut mendacii redarguitur. Utravis hæc labes tanti viri nomini aſperſa planè intolerabilis. Utriuſque injuriæ, ſi modò annueris, me Tibi ultorem devoveo. Sed occurrit & alter dignus Te vindice nodus. In Trecenſi Epiſcopatu vicus eſt priſco nomine Rilliacus, nunc porrò à ſanctâ Syrâ, ſive Syriâ nuncupatus. Hanc, quæ nobile ibi monumentum habet, à mille admodùm annis populorum concurſu celebre, crediderunt majores noſtri Virginem, Sanctimonialem, Thaumaturgi Fiacrii ſororem, adeóque Eugenii Scotorum Regis filiam. Nuper autem emerſere duo vel tres, qui leviſſimo argumentô perſuaſi, Syriam quæ Rilliaci colitur, quæ calculoſis opitulari ſolet, contra

torrentem antiquitatis, & laïcam, & patriâ Trecenſem fuiſſe affirmant. Syram autem (nam & nomina diſtingui volunt) & Virginem & Monialem, & ſancti Fiacrii germanam agnoſcunt. Sic unam Syram ſive Syriam in duas diffundunt; hoc eſt, pro unâ verâ duas commentitias imperitis plebibus obtrudunt. His addo munuſculum aliud huic PACIS *anno accommodatum. Nuper cùm ſchedas meas revolverem, incidi in Concilium quoddam, anno Chriſti 821. Noviomagi Batavorum celebratum, cujus apud Capitulorum aut Conciliorum Collectores nullum apparet veſtigium. In hac Synodo firmata pax eſt inter Ludovici Pii Imperatoris filios ex Irmingarde: datáque eſt ejuſdem Imp. Conſtitutio ad*

Bernovvinum Criſopolitanum Archiepiſcopum, de libertate ſervis Eccleſiæ certo ritu in poſterum concedendâ. Miratus ſum æternæ providentiæ ſic diſpoſita momenta, ut eadem in idem quodam quaſi circulo redire viderentur. Niumagæ ſançita pax eſt ſub Ludovico Pio. Indidem poſt annos ferè octingentos & ſexaginta data eſt Pax Orbi Chriſtiano à Ludovico Magno, verè Rege pacifico. Conjeci igitur ad hujus libelli calcem, de hoc Concilio Niumagenſi obſervationem meam. Non accident, ut ſpero, ingrati Magnitudini Tuæ hi lucubrationum mearum qualeſçumque fructus, quia Te & Conciliorum, & totius ſeu Romani ſeu Gallici Eccleſiaſtici Juris peritiſſimum novimus; & ſicut in vanis quibuſdam populo-

rum opinionibus rejiciendis cautum ac ſeverum, ſic etiam in venerabilibus Eccleſiarum traditionibus, nominatiſſimi Tui deceſſoris Hincmari exemplo ſartis tectis habendis religioſiſſimum eſſe pro certo habemus. In familia Tua Illuſtriſſima Triadem quamdam ſpectare mihi videor, totius regni Chriſtianiſſimi bono natam: Parentem Tuum venerabilem, cujus cani ſenſus, & ætas ſenectutis vita immaculata, *Regium Archicancellarium, adeóque rei politicæ ſummo jure præpoſitum: Fratrem Tuum, ſub Ludovici Magni, ſemper Victoris, ſempérque invicti Regis ſignis, rei totius militaris arbitrum, & quaſi Archiſtrategum: Te denique è Regiâ Capellâ, velut è ſummâ turri, rei toti Eccleſiaſticæ* Sap. 4. 9.

invigilantem : dignum patre tanto, fratre tanto dignum : dignum in quem Primi Franciæ Paris, & Sedis Apoſtolicæ Legati nati dignitates, tot paſtorales baculi, tot anuli, tot mitræ, tot etiam infulæ, tot ſacri miniſterii ornamenta confluxerint. Vale. Kalendis Octobribus anni partæ ſalutis M. DC. LXXIX.

Tuus Petrus Franciscus Chiffletius, Preſbyter è Societate Jesu.

FACULTAS SUPERIORUM.

EGo infra-ſcriptus Provincialis Societatis JESU in Provinciâ Franciæ, permitto ut Opuſcula duo: alterum, quo ſuus Pariſienſibus confirmatur Dionyſius Areopagita, & huic libri ſui vindicantur; alterum, de unâ ſanctâ Syrâ, ſeu Syriâ Virgine; à Petro Franciſco Chiffletio, Societatis noſtræ Sacerdote, compoſita, & à Theologis noſtris approbata, typis mandentur. Datum Pariſiis 30. die Januarii 1677.

STEPHANUS DECHAMPS.

EGo infra-ſcriptus Provincialis Societatis JESU in Provinciâ Franciæ, permitto ut Opuſcula duo: alterum, de primâ origine Comitum Valentinorum ex Pictavenſibus; alterum inſcriptum, Excerpta ſingularia ex Collectaneis de Vitâ & rebus geſtis S. Bernardi Abbatis Claravallenſis, auctore Gaufrido Abbate, quondam illi ab Epiſtolis; à Petro Franciſco Chiffletio, Societatis noſtræ Sacerdote, recenſita, & à Theologis noſtris approbata, typis mandentur. Datum Rhedonis 26. Julii 1679.

PETRUS DE VERTHAMON.

SUMMA PRIVILEGII Regis Chriſtianiſſimi.

LUDOVICI XIV. Franciæ & Navarræ Regis Chriſtianiſſimi diplomate cautum eſt, ne quis in ipſius regno, aliiſve locis ejus ditioni ſubjectis, intrà proximos ſex annos à die impreſſionis perfectæ inchoandos, excudat, vendat, vendendum aut excudendum, quovis modo ac ratione curet, librum qui inſcribitur: *Petri Franciſci Chiffletii, Veſontionenſis, Societatis* JESU *Presbyteri, Opuſcula quatuor. Primum, de ſancti Dionyſii ætate, totáque Chronologiâ, quo & ſuus Pariſienſibus confirmatur Areopagita, & huic libri ſui vindicantur. Secundum, de unâ ſanctâ Syrâ ſeu Syriâ Virgine. Tertium Origo prima Comitum Valentinenſium ex Pictavenſibus. Quar-*

tum, Excerpta ſingularia ex Collectaneis de Vitâ & rebus geſtis ſancti Bernardi Claravallenſis Abbatis, auctore Gaufrido Abbate, quondam illi ab Epiſtolis; ſub pœnis in originali diplomate contra delinquentes expreſſis, præter illum Typographum aut Bibliopolam quem Auctor elegerit. Apud Sanctum Germanum in Laya 12. Julii, anno 1679.

Sic ſignatum, JUNQUIERES.

Ipſe verò Auctor P. F. Chiffletius hoc Privilegium transfudit in GABRIELEM MARTINUM Typographum-Bibliopolam.

Inter Jeſuitas Germanos doctiſſimi meritò putantur Jacobus Gretſerus, & Matthæus Raderus. Hi quantùm abhorruerint à Criticis incredulis, qui fortium ingeniorum titulum & gloriolam aucupantur, cognoſce ex alterius eorum verbis ſequentibus.

Ex Matthæi Raderi Bavariâ Sanctâ, in Sancto Henrico Imperatore.

„ OMITTO hîc claudicationis, ſtateræ, & calicis aurei in morte viſi, calculi, morbi, aliáque apud antiquos Scriptores, & membranis Babenbergenſibus notata miracula; *non quòd ea, quemadmodùm profaniſſimi quidam, & ab omni Numine, veráque religione deſerti, ſomnia credam. Dormiant illi ſomnum ſuum, & nobis fidem cum pietate relinquant*; ſed quòd plura ſint (præſertim quæ poſt Imperatoris mortem ſunt perſcripta) quàm ut hîc percenſeri commodè poſſint, & ſingulari volumine nuper ab noſtro Gretſero comprehenſa legantur.

OPUSCU-

OPUSCULUM I.
DE
SANCTI DIONYSII
ÆTATE,
TOTAQUE CHRONOLOGIA:

Quo & ſuus Pariſienſibus confirmatur Areopagita, & huic libri ſui vindicantur.

OPUSCULUM I.
DE SANCTI DIONYSII ÆTATE, TOTAQUE CHRONOLOGIA:

Quo & ſuus Pariſienſibus confirmatur Areopagita, & huic libri ſui vindicantur.

EO ferè tantùm ſpectavit Diſſertatio de uno Dionyſio, tribus abhinc annis à me in publicum emiſſa, ut ſuum Pariſienſibus Areopagitam adſererem : quod & confeciſſe me

reor, tum S. Methodii Patriarchæ Conſtantinopolitani, tum Hincmari Archiepiſcopi Remenſis, tum Anaſtaſii Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarii, priſcorum & magnorum virorum, teſtimoniis; tum etiam Orientalium omnium, & Occidentalium Eccleſiarum uſu & conſenſu, quæ jam à novem propè ſæculis, in ſacris Lectionibus diviniſque Officiis ſeriò id profitentur. Quod & confirmant Crotonienſes Calabriæ populi, quorum eſt poſt omnem memoriam accepta à majoribus traditio, ſanctum Dionyſium Areopagitam, cùm Athenis Romam pergeret, (unde à Clemente Papa in Gallias deſtinatus eſt) à Crotonienſibus ex itinere exceptum, ipſorum fundaſſe Eccleſiam, primúmque cenſeri Epiſcopum. Unde & illi pro vexillo Eccleſiæ ſuæ, imaginem præferunt ipſius Areopagitæ, ut teſtatur Ferdinandus Ughellus tomo IX. & poſtremo Italiæ ſuæ ſacræ. Quorum omnium auctoritati, Launoii

quàmlibet multarum litterarum viri, apud æquos rerum æſtimatores nunquam præponderabit judicium: ne ſi quidem ille clypeum objiciat Sirmondi & Petavii illuſtrium virorum calculos.

Nam priorem illum (Sirmondum dico) hoc ad hominem argumento illi excutio è manibus. Is in Diſſertatione de duobus Dionyſiis, Hincmari Remenſis de uno Dionyſio teſtimonium ea ratione elevare conatus eſt, quòd in Vita S. Remigii Clodoveum Regem in pervigilio Paſchæ baptizatum ſcripſerit, quem in Natali Domini Avitus Viennenſis illorum temporum inſpector ſacris undis ablutum referat. Unde concluſit Sirmondus, errare potuiſſe Hincmarum in Pariſienſi Areopagita, ſicut in die Clodovei Baptiſmo initiati erraſſe convincitur. Præclarè hæc quidem ad oſtentationem, ſed parum ſolidè ad quæſtionem propoſitam. Certum eſt enim, priſcis illis

ſæculis, vetita fuiſſe baptiſmata, etiam privata, extra dies Pervigiliorum Paſchæ & Pentecoſtes, niſi urgente ſalutis periculo. Id patet ex Epiſtola Siricii Papæ ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum, ex Epiſtola decretali quarta S. Leonis Papæ ad Epiſcopos Siciliæ, ex Gregorio Turonenſi lib. v. Hiſtoriæ cap. XI. & ex Conciliis aliquot Gallicanis. Quantò magis prohibita fuerunt ſollemnia, qualia memorantur à Gregorio Turonenſi, lib. 2. cap. 31. trium ampliùs millium de exercitu Clodovei? Si hi baptizati ſunt ipſo proprio die Chriſti natali, Decembris menſis XXV. ecquis Remigium hujus auctorem facinoris, à ſacrorum Canonum tranſgreſſione immunem præſtet?

Succurrit aliud quod hîc reponam. Quid ſi Avitus ipſe natalem Domini appellavit diem reſurrectionis? Feciſſe potuit ad guſtum Hilarii Pictavenſis, Ambroſii, Chryſoſtomi, immò &

Pauli Apoſtoli, Actorum cap. 13. verſu 3. illa Davidis verba, Pſalmi 2. v. 7. *Filius meus es tu: ego hodie genui te;* de Chriſti reſurrectione explicantium, quòd ſit quædam Chriſti nativitas, ejus reſurrectio. Si fecit Avitus, quid erit unde Hincmarus redarguatur?

Sed erraverit Hincmarus in die ipſo baptizati Clodovei, etiam hoc ultrò conceſſo, quæ conſequentia eſt ut in Pariſienſi quoque Areopagita erraſſe dicatur? Pari certè jure ſic ratiocinetur quilibet Areopagitæ Pariſienſis propugnator: Erravit Sirmondus in epochâ Concilii Rotomagenſis præſide Anſberto celebrati anno Chriſti 689. quod ille anno 682. aſſignavit, totius ſeptennii prochroniſmo. Erravit ſimiliter Petavius in anno obitûs Roberti Regis, quem ille ſive Helgaudi lapſu, ſive cujuſdam ſolaris eclipſis indiligenti obſervatione deluſus, in annum Chriſti 1033. rejecit, quem biennio citiùs, nempe anno 1031. eveniſſe conſtat om-

nium illius ævi Scriptorum unanimi conſenſu. Has Sirmondi & Petavii παρέκβασες à pluribus jam annis obſervaveram, & eorum redargutiones privatis meis commentariis illigaveram, cùm incidi non ita pridem in Philippi Labbei horum Patrum magni obſervatoris æram Chriſtianam, in qua eóſdem reperi cum præfatione honoris egregiè confutatos.

Per te liceat mihi (Lector benevole) Sirmondi duorum Dionyſiorum præcipui aſſertoris ſententiam, ictu repetito, Pariſienſis Areopagitæ ſacris altaribus immolare. Incruenta erit victoria, certamen enim ingeniorum eſt. Edidit Sirmondus anno ſæculi hujus 1619. Idatii Faſtos Conſulares. Ad Gratiani Nobiliſſimi & Dagalaiſi Conſulatum, qui anno reſpondet æræ Dionyſianæ 366. hæc refert ex antiquo noſtro codice: *His Conſulibus natus eſt Valentinianus Junior, filius Auguſti Valentiniani, die* XV. *Kal. Febr. & ipſo*

anno idem hoſtis publicus, & prædo (Procopium intelligit) *intra Phrygiam Salutarem, & in Nacolienſium campis ab Auguſto Valente oppreſſus atque extinctus eſt die* VI. *Kal. Junias. Ipſo anno Auguſtus Valentinianus gentem Alamannicam pervicit.* Hæc cùm legiſſet Henricus Valeſius vir apprimè doctus, in Notis ad Ammiani Marcellini librum XXX. ad hæc verba: *Valentinianus puer, defuncti filius, cùm quadrimus vocaretur ad Imperium coaptandus*; ſic admonet: Atqui Valentinianus Junior natus erat Gratiano Nobiliſſimo & Dagalaipho Coſſ. anno Natalis Domini 366. die XV. Cal. Februarii, ut ſcribit Idatius in Faſtis, & auctor Alexandrini Chronici iiſdem planè verbis, quibus Idatius. Quibus ſuffragatur Themiſtius in Orat. XI. ad Valentinianum Juniorem, p. 254. ubi natalem ipſius, vice oraculorum & vaticiniorum prædixiſſe ait Tyranni Procopii exitum. Conſtat autem Pro-

„ copium eo anno quem dixi, à Valen-
„ te victum & necatum fuiſſe. Accedit
„ prætereà Socrates in libro 4. Sozome-
„ nus in 6. qui Valentinianum Junio-
„ rem eo anno in lucem editum eſſe te-
„ ſtantur. Quod ſi ita eſt, quo modo idem
„ quadrimus ad Imperium veniſſe di-
„ catur non video. Creatus enim eſt Au-
„ guſtus P. C. Gratiani tertium & Æ-
„ quitii, anno Domini 375. Huic diffi-
„ cultati, quam ego primus & jamdu-
„ dum deprehenderam, aliiſque ſolven-
„ dam propoſueram, ita occurrendum pu-
„ to, ut Valentinianum qui anno 366.
„ natus eſt, diverſum eſſe dicamus ab
„ eo qui poſtea Auguſtus fuit: quod
„ quidem his argumentis evincam. Pri-
„ mò enim Valentinianus, qui mortuo
„ patre Auguſtus eſt renunciatus, qua-
„ drimus tunc erat, ut ſcribit præter
„ Marcellinum noſtrum Victor in Epi-
„ tome, & Zonaras: Zoſimus certè vix
„ quinquennem fuiſſe dicit. Deinde vi-
„ ginti annos natus obiiſſe dicitur à Ni-

cephoro in lib. xii. cap. 38. Interfe- «
ctus porrò eſt, ut inter omnes conſtat, «
anno Domini 392. Hieronymus in epi- «
ſtola de exitu Nepotiani, eumdem «
Valentinianum adoleſcentem adhuc, «
& penè puerum eſſe occiſum memorat. «
Quæ certè omnia non procederent, ſi «
anno 366. natus fuiſſet. Denique Va- «
lentinianus Junior, is qui anno 366. «
in lucem eſt editus, Conſulatum geſſit «
cum Victore, anno Domini 369. ut «
teſtatur apertè Themiſtius in Orat. «
xi. quam ei Conſulatum Conſtanti- «
nopoli auſpicanti Cal. Jan. dixit. Quòd «
ſi hic idem eſſet cum eo qui poſt mor- «
tem Valentiniani Auguſtus eſt nuncu- «
patus, cùm is paulò poſtquàm Impe- «
rator eſt factus, Conſulatum inierit «
cum Valente, Conſul iterum neceſſa- «
riò dici debuiſſet. At in Faſtis omni- «
bus annus ille 376. ſic notatur: Valen- «
te Aug. V. & Valentiniano Juniore «
Aug. Quæ cùm ita ſint, apparet «
duos ejuſdem nominis Valentinianos «

„ Valentiniani magni filios diſtingui de-
„ bere.

Hæc Henricus Valeſius anno 1636. cùm Ammianum à ſe illuſtratum in lucem daret. Cautiùs etiam Petavius cùm octodecim antè annis, nempe anno 1618. Themiſtii aliquot Orationes ſub prælo haberet, ad illa verba, Εἴτε οὖν ἐκεῖνοι ἐννοοῦντες, hæc adnotat: *Difficilis ac, penè dicam, inextricabilis hic locus. Quid enim? Valentinianus ille Junior, de quo hîc eſt ſermo, nònne Valentiniani filius eſt? Quæ igitur ratio patitur, poſt Valentiniani mentionem,* τὸν ὄντως πατέρα *diſcerni ac nominari Valentem?* Exinde propoſitis per conjecturam aliquot ſolutionibus, ita demum concludit: *Verùm conjecturæ iſtiuſmodi mihi non ſatisfaciunt. Ampliandum itaque de ea quæſtione cenſeo.*

Unde, quæſo, in iſto eruditorum quaſi Areopago tot ſtrepitus, tot tumultus? Pace dixerim Sirmondi. Unus ejus error, una hallucinatio has tem-

eſtates concitavit. Habeo præ oculis
llum ipſum codicem, è quo Idatii Fa-
tos Conſulares Sirmondus deſcripſit.
n eo codice lego ad Conſulatum Gra-
iani & Dagalaiphi, qui eſt æræ vulga-
is 366. *His Conſulibus natus eſt Va-
entinianus Junior, filius Auguſti Va-
entis, die* XV. *Kal. Febr.* Emendavit
Sirmondus, & pro filio Auguſti Va-
entis, ſcripſit *filius Auguſti Valenti-
niani*. Nefas putarunt Petavius &
Valeſius Sirmondi fidem vocare in du-
bium: & ego quoque nefas putarem,
niſi Valentinianum pro Valente per-
peram à Sirmondo poſitum oculis meis
cernerem. Abſit tamen à me ut malæ
fidei Sirmondum inſimulem. Credidit
Sirmondus erratum eſſe à librario an-
tiquo, qui Idacii Faſtos jam olim de-
ſcripſerat: ipſe à vero & ab Idacii ip-
ſamet mente toto cælo aberravit, lo-
cúmque Idacii emendare dum voluit,
corrupit. Reſtituatur hic locus ad fi-
dem antiqui codicis, & ſalva ſunt om-

nia. Pax eſt Idatio cum Ammiano, pax utrique cum Themiſtio. Duo fuere Valentiniani re & cognomento Juniores; alter Valentis filius, alter filius Valentiniani Senioris. Prior ille natus eſt anno Chriſti *366.* Gratiano & Dagalaipho Conſulibus, xv. Kalendas Februarii, Conſul creatus eſt vix trimulus puer, Victore collega anno Chriſti *369.* Idem (ut opinor) mortuus eſt anno *370.* in pœnam patris Valentis Arrianorum veneno infecti, dum Baſilium & Orthodoxos alios nequiter perſequeretur. Gallus etiam, ſeu Galathes nuncupatus apud Socratem, Sozomenum, Nicephorum Calliſtum: neque enim duos Valentis filios uſquam legimus. Porrò Valentinianus Junior, Valentiniani Senioris filius, imperare cœpit poſt patrem ex anno *375.* cùm ei parens Valentinianus xv. Kalendas Decembris deceſſiſſet, ipſe tantùm quadrimus, ut Ammianus, Zoſimus, Socrates, aliique

tradidere. Natus ergo erat Valentinianus Junior, Valentiniani Senioris filius, anno Chriſti 371. jam acerba morte ſublato ejus patruele Valentiniano Gallo, Valentis improbi parentis infelice filio.

Hinc lux affulget Themiſtio in Oratione XI, quâ Valentinianum Valentis filium Kalendis Januariis ſalutavit anno, ut dixi, æræ Chriſtianæ 369. Ibi commemorat Themiſtius Valentiniani pueri Conſulis patres duos; Valentem naturâ patrem veréque genitorem; Valentinianum Seniorem, ejus patruum & adoptione patrem: cujus adoptionis nota patrui nomen puero inditum. Quam ergo *Quadrigam Regum* dixit Themiſtius, pronum eſt interpretari *paria duo æqualium fermè utrimque & ætate & tempore Principum, æqualiter gradientium, æqualiter ſpirantium*. Hinc Valentinianum Seniorem & Valentem Auguſtos fratres, inde porrò Valentinianum Juniorem Valen-

tis filium, & Gratianum Valentiniani Senioris filium, patruelem Valentiniani Junioris, illi ætate paulò ſuperiorem.

Redeo ad Sirmondum. Aggreſſus ille Hincmarum Remenſem Pariſienſis Areopagitæ aſſertorem nominatiſſimum, objecit reverendiſſimo viro, quòd qui in die Baptiſmo initiati Clodovei lapſus fuerat, in Gallorum quoque Dionyſio Areopagita minimè audiendus videretur. Hanc ego ipſam machinam in Sirmondum retorqueo. Erravit Sirmondus in Valentiniano Juniore, Valentis filio; atque tam infauſto errore, ut illo uno Idatii locum emendare dum ſtuduit, corruperit, ut Chronologorum in Romana Hiſtoria calculos confuderit, ut Romanorum Principum Imperia, & Conſulum Faſtos turbaverit. Non mirum igitur quòd in Dionyſio Areopagita Pariſiorum civitati, immò totis Galliis noſtris eripiendo erraverit; vir alioqui

cum

cum doctiſſimis comparandus, niſi paradoxa quædam ſparſiſſet in vulgus, quibus veterum Eccleſiarum traditiones mirum quantùm labefactatæ ſunt, haud abſque multorum offenſione, nullo Chriſtianæ pietatis fructu.

Nimirum errare humanum eſt. Etiam ſummi quique viri illud Sapientis de ſe profiteri habent: Humani à me nihil alienum puto. Nemo igitur Sirmondo, paucíſque aliis ſenſus ejuſdem, quàmlibet doctis viris, ducibus glorietur: quibus nos Methodium, Michaëlem Syngelum Hieroſolymitanum, Anaſtaſium Bibliothecarium, Hincmarum Remenſem, & aliorum è Græciâ, Galliâ, Italiâ, totóque orbe Chriſtiano proborum ac ſapientum non cohortem aliquam, ſed innumerabiles (ut ità dicam) exercitus opponimus.

Tamen in hanc tam indubitatam veritatem, nebularum neſcio quid objici poſſe video vel ab ipſius Dionyſii æta-

te totâque chronologiâ, vel à libris ejus nomine vulgatis. Id nimirum quicquid eſt, hoc Opuſculo diſcutiendum aggredior, ne quid Galliis noſtris, ac præſertim Pariſienſibus ad aſſerendam ſibi tam illuſtris Patroni tutelam & patrocinium deeſſe quiſquam putet.

De ſancti Dionyſii ætate Michaëlem Preſbyterum & Syngelum Jeroſolymitanum præ cæteris conſuli velim. Hunc virum ut probè noris, audiendus eſt Theodorus Studita in epiſtolâ ad eum datâ, quæ eſt libri ſecundi ducenteſima decimatertia, habetúrque Latinè ex verſione Jacobi Sirmondi, apud Baronium tomo IX. Annalium, ad annum Chriſti 835. quamvis data (ut ipſe monet) adhuc vivente Nicephoro Patriarchâ C P. qui ordinatus anno Chriſti 806. die Paſchæ, actus eſt in exilium anno 815. 13. Martii; obiit autem ſecundâ die menſis Junii anni 828. Sed & datam conſtat ante diem XI. Novembris anni 816.

quæ Theodoro Studitæ fuit ſuprema.

Michaëli Syncello Hagiopoleos

THEODORUS STUDITA.

SCRIBO nunc ad Reverentiam « tuam, quando mihi Dei nutu ob- « tigit, ut epiſtolæ miniſtrum nanciſce- « rer: alioquin ex ipſâ cuſtodiâ noſtrâ « idipſum facturus eram; nec ſemel mo- « dò, ſed bis etiam, ac ſæpiùs fortaſſe. « Neque enim quia extranei vos eſtis, « idcircò nos veſtri ſpecie diſſimiles: ſed « quia ex unâ adoptionis matre geniti, « & eodem ſinceræ fidei charactere for- « mati, & fratres, & concives, caput « habentes Chriſtum, cujus cùm corpus « ſimus, & membrum de membro, con- « gaudere inter nos debemus in proſpe- « ris, angíque pariter in adverſis. Verùm « quomodò vos, cùm aliò profecti eſſe- « tis, impulit temporum violentia, ut in « eorum qui rerum hîc potiuntur, retia «

» tione accepimus quantus & ipſe ſis
» gratiâ Dei, qui vitæ ſermonem geras,
» ſapientiæ fluctum ex ore promas, va-
» nis propoſitionibus congruentia oppo-
» nendo. Nos verò humiles illud dici-
» mus & teſtamur, ſelectos & olim &
» nunc hierarchicæ huic ſedi præfuiſſe,
» qui dogmatum peritiâ totam de ſacris
» imaginibus ſpeculationem & doctri-
» nam deſcripſerunt & tradiderunt. Etſi
» apoſtolicis verbis dicendum eſt: Ubi
» abundavit peccatum, ſuperabundavit
Rom. 5. 20. » & gratia. Hinc enim progreſſa tan-
» quàm ex portis inferi hæreſis Icono-
» machica, hîc quoque repreſſa eſt: quin
» reprimetur etiamnum magis Spiritus
» ſancti afflatu, quando increpabit Chri-
» ſtus perverſum hoc reverâ mare, in
» quo multa circa fidem naufragia, non
» tam mentis perverſitate, quàm impe-
» rantium formidine. Attamen emerſe-
» runt multi è procellâ, Spiritus ſancti
» clavo nixi: & multa martyria, & pie-
» tatis ſcripta monumenta univerſum er-

rorem expellentia, & veritatis pulchri- «
tudinem omnibus fidelibus mentibus «
demonſtrantia. Quibuſcum ſervetur & «
Reverentia tua, bonum certans certa- «
men, curſum conſummans, ut juſtitiæ «
coronam accipias. Ità ſit. «

Pro verbis illis ante medium epiſtolæ [*& certamen duxit Jehu*] legitur in Græco [καὶ ὁ ἀγὼν ἦγε τὸν ἠιού] libenter legerim τὸν Ἰηού, ut habent quædam Bibliorum Græcæ editiones, potiùs quàm Ἰού, ut legitur in Bibliis regiis, aut ἠιοὺ, ut præfert Theodori mſ. exemplar in ſchedis Sirmondi. Favet enim *Jehu* in vulgatâ Latinâ expreſſum. Eſt autem ſenſus; ὁ ἀγὼν, id eſt, multitudo Iſraëlitarum (nam ex Euſtathio aliiſque colligitur, τὸν ἀγῶνα dici etiam τὸ πλῆθος) duxit, hoc eſt, hoſtibus oppoſuit τὸν Ἰηού. Ubi reddit Theodorus ſenſum vulgatæ editionis, 4. Regum, cap. 9. v. 13. *Feſtinaverunt itaque, & unuſquiſque tollens pallium ſuum, poſuerunt ſub pedibus ejus in ſimi-*

nia. Pax eſt Idatio cum Ammiano, pax utrique cum Themiſtio. Duo fuere Valentiniani re & cognomento Juniores; alter Valentis filius, alter filius Valentiniani Senioris. Prior ille natus eſt anno Chriſti 366. Gratiano & Dagalaipho Conſulibus, xv. Kalendas Februarii, Conſul creatus eſt vix trimulus puer, Victore collega anno Chriſti 369. Idem (ut opinor) mortuus eſt anno 370. in pœnam patris Valentis Arrianorum veneno infecti, dum Baſilium & Orthodoxos alios nequiter perſequeretur. Gallus etiam, ſeu Galathes nuncupatus apud Socratem, Sozomenum, Nicephorum Calliſtum: neque enim duos Valentis filios uſquam legimus. Porrò Valentinianus Junior, Valentiniani Senioris filius, imperare cœpit poſt patrem ex anno 375. cùm ei parens Valentinianus xv. Kalendas Decembris deceſſiſſet, ipſe tantùm quadrimus, ut Ammianus, Zoſimus, Socrates, aliique

tradidere. Natus ergo erat Valentinianus Junior, Valentiniani Senioris filius, anno Chriſti 371. jam acerba morte ſublato ejus patruele Valentiniano Gallo, Valentis improbi parentis infelice filio.

Hinc lux affulget Themiſtio in Oratione XI, quâ Valentinianum Valentis filium Kalendis Januariis ſalutavit anno, ut dixi, æræ Chriſtianæ 369. Ibi commemorat Themiſtius Valentiniani pueri Conſulis patres duos; Valentem naturâ patrem veréque genitorem; Valentinianum Seniorem, ejus patruum & adoptione patrem: cujus adoptionis nota patrui nomen puero inditum. Quam ergo *Quadrigam Regum* dixit Themiſtius, pronum eſt interpretari *paria duo æqualium fermè utrimque & ætate & tempore Principum, æqualiter gradientium, æqualiter ſpirantium.* Hinc Valentinianum Seniorem & Valentem Auguſtos fratres, inde porrò Valentinianum Juniorem Valen-

tis filium, & Gratianum Valentiniani Senioris filium, patruelem Valentiniani Junioris, illi ætate paulò ſuperiorem.

Redeo ad Sirmondum. Aggreſſus ille Hincmarum Remenſem Pariſienſis Areopagitæ aſſertorem nominatiſſimum, objecit reverendiſſimo viro, quòd qui in die Baptiſmo initiati Clodovei lapſus fuerat, in Gallorum quoque Dionyſio Areopagita minimè audiendus videretur. Hanc ego ipſam machinam in Sirmondum retorqueo. Erravit Sirmondus in Valentiniano Juniore, Valentis filio, atque tam infauſto errore, ut illo uno Idatii locum emendare dum ſtuduit, corruperit, ut Chronologorum in Romana Hiſtoria calculos confuderit, ut Romanorum Principum Imperia, & Conſulum Faſtos turbaverit. Non mirum igitur quòd in Dionyſio Areopagita Pariſiorum civitati, immò totis Galliis noſtris eripiendo erraverit; vir alioqui cum

cum doctiſſimis comparandus, niſi paradoxa quædam ſparſiſſet in vulgus, quibus veterum Eccleſiarum traditiones mirum quantùm labefactatæ ſunt, haud abſque multorum offenſione, nullo Chriſtianæ pietatis fructu.

Nimirum errare humanum eſt. Etiam ſummi quique viri illud Sapientis de ſe profiteri habent: Humani à me nihil alienum puto. Nemo igitur Sirmondo, paucíſque aliis ſenſus ejuſdem, quàmlibet doctis viris, ducibus glorietur: quibus nos Methodium, Michaëlem Syngelum Hieroſolymitanum, Anaſtaſium Bibliothecarium, Hincmarum Remenſem, & aliorum è Græciâ, Galliâ, Italiâ, totóque orbe Chriſtiano proborum ac ſapientum non cohortem aliquam, ſed innumerabiles (ut ità dicam) exercitus opponimus.

Tamen in hanc tam indubitatam veritatem, nebularum neſcio quid objici poſſe video vel ab ipſius Dionyſii æta-

te totáque chronologiâ, vel à libris ejus nomine vulgatis. Id nimirum quicquid eſt, hoc Opuſculo diſcutiendum aggredior, ne quid Galliis noſtris, ac præſertim Pariſienſibus ad aſſerendam ſibi tam illuſtris Patroni tutelam & patrocinium deeſſe quiſquam putet.

De ſancti Dionyſii ætate Michaëlem Preſbyterum & Syngelum Jeroſolymitanum præ cæteris conſuli velim. Hunc virum ut probè noris, audiendus eſt Theodorus Studita in epiſtolâ ad eum datâ, quæ eſt libri ſecundi ducenteſima decimatertia, habetúrque Latinè ex verſione Jacobi Sirmondi, apud Baronium tomo IX. Annalium, ad annum Chriſti 835. quamvis data (ut ipſe monet) adhuc vivente Nicephoro Patriarchâ C P. qui ordinatus anno Chriſti 806. die Paſchæ, actus eſt in exilium anno 815. 13. Martii; obiit autem ſecundâ die menſis Junii anni 828. Sed & datam conſtat ante diem XI. Novembris anni 816,

quæ Theodoro Studitæ fuit ſuprema.

Michaëli Syncello Hagiopoleos

Theodorus Studita.

Scribo nunc ad Reverentiam «
tuam, quando mihi Dei nutu ob- «
tigit, ut epiſtolæ miniſtrum nanciſce- «
rer: alioquin ex ipſâ cuſtodiâ noſtrâ «
idipſum facturus eram; nec ſemel mo- «
dò, ſed bis etiam, ac ſæpiùs fortaſſe. «
Neque enim quia extranei vos eſtis, «
idcircò nos veſtri ſpecie diſſimiles: ſed «
quia ex unâ adoptionis matre geniti, «
& eodem ſinceræ fidei charactere for- «
mati, & fratres, & concives, caput «
habentes Chriſtum, cujus cùm corpus «
ſimus, & membrum de membro, con- «
gaudere inter nos debemus in proſpe- «
ris, angíque pariter in adverſis. Verùm «
quomodò vos, cùm aliò profecti eſſe- «
tis, impulit temporum violentia, ut in «
eorum qui rerum hîc potiuntur, retia «

» incideritis ? Quid autem ad hoc dice-
» mus aliud quàm quod Scriptura ſancta
4. Reg. 13 » dicit: Et certamen duxit Jehu. Sed il-
» lic quidem ad regnum Iſraël, hîc ve-
» rò ad teſtimonium veritatis ; ut nunc
Mich. 4. 2. » etiam impleatur quod ſcriptum eſt: De
» Sion exibit lex, & verbum Domini de
» Hieruſalem.

» Age mens beatiſſima, ſta fortiter,
» monemus: glorifica Deum in corpore
» tuo, & in ſpiritu. Dic & ipſe cum di-
Philip. 1. 19. » vino Apoſtolo: Scio quòd hoc mihi
» proveniet ad ſalutem, per veſtram ora-
» tionem & ſubminiſtrationem Spiritus
» JESU-CHRISTI, ſecundùm exſpecta-
» tionem & ſpem meam ; quia in nullo
» confundar; ſed in omni fiduciâ, ſicut
» ſemper & nunc magnificabitur Chri-
» ſtus in corpore meo, ſive per vitam,
» ſive per mortem. Mihi enim vivere
» Chriſtus eſt, & mori lucrum. En dul-
» ce certamen! En felicem commutatio-
» nem! per breves tribulationes & an-
» guſtias ſeu plagas & ſanguinis guttas

Deum fieri, & Deo qui verè eſt, po- «
tiri. Solus ergo factus es (ut accepi- «
mus) ab iis ſenſu diviſus, qui ſæculum «
hoc amant; ſed cum iis conjunctus, «
qui veritatis ſuſtinent defenſionem. «
Hinc te Martyrum chorus integrum «
ſuſcipere deſiderat. Hinc Confeſſorum «
cuneus manum porrigit ut in locum «
ſuum recipiat. «

Haud quaquam deſciſcamus ab hac «
præclarâ choreâ, ô Venerande, neque «
omnium ſpes confundamus, deſidera- «
tiſſime. Quanta pertuliſti! adeò ut no- «
men tuum paſſim ab his & illis audi- «
tum ſit. Nunc autem tanquam in mon- «
tem virtutum per confeſſionem ſub- «
vectus, conſpicuus mundo factus es, «
& faciem geris Sole lucidiorem, cum «
ſermone vitam, ad gloriam Patris no- «
ſtri qui in cælis eſt. In locum deductus «
es ſublimiorem, linguæ objectus ma- «
ledicæ, quid non vellicanti? quid non «
mentienti? dum te ab excelſo & divi- «
no ſenſu flectere conatur. Sed audi- «

» tione accepimus quantus & ipſe ſis
» gratiâ Dei, qui vitæ ſermonem geras,
» ſapientiæ fluctum ex ore promas, va-
» nis propoſitionibus congruentia oppo-
» nendo. Nos verò humiles illud dici-
» mus & teſtamur, ſelectos & olim &
» nunc hierarchicæ huic ſedi præfuiſſe,
» qui dogmatum peritiâ totam de ſacris
» imaginibus ſpeculationem & doctri-
» nam deſcripſerunt & tradiderunt. Etſi
» apoſtolicis verbis dicendum eſt: Ubi
» abundavit peccatum; ſuperabundavit
Rom. 5. 20. » & gratia. Hinc enim progreſſa tan-
» quam ex portis inferi hæreſis Icono-
» machica, hîc quoque repreſſa eſt: quin
» reprimetur etiamnum magis Spiritus
» ſancti afflatu, quando increpabit Chri-
» ſtus perverſum hoc reverâ mare, in
» quo multa circa fidem naufragia, non
» tam mentis perverſitate, quàm impe-
» rantium formidine. Attamen emerſe-
» runt multi è procellâ, Spiritus ſancti
» clavo nixi: & multa martyria, & pie-
» tatis ſcripta monumenta univerſum er-

rorem expellentia, & veritatis pulchri- «
tudinem omnibus fidelibus mentibus «
demonſtrantia. Quibuſcum ſervetur & «
Reverentia tua, bonum certans certa- «
men, curſum conſummans, ut juſtitiæ «
coronam accipias.Ità ſit. «

Pro verbis illis ante medium epiſtolæ [*& certamen duxit Jehu*] legitur in Græco [καὶ ὁ ἀγὼν ἦγε τοῦ ἠιού] libenter legerim τοῦ Ἰηού, ut habent quædam Bibliorum Græcæ editiones, potiùs quàm Ἰού, ut legitur in Bibliis regiis, aut ἠιοὺ, ut præfert Theodori mſ. exemplar in ſchedis Sirmondi. Favet enim *Jehu* in vulgatâ Latinâ expreſſum. Eſt autem ſenſus; ὁ ἀγὼν, id eſt, multitudo Iſraëlitarum (nam ex Euſtathio aliiſque colligitur, τὸν ἀγῶνα dici etiam τὸ πλῆθος) duxit, hoc eſt, hoſtibus oppoſuit τοῦ Ἰηού. Ubi reddit Theodorus ſenſum vulgatæ editionis, 4. Regum, cap. 9. v. 13. *Feſtinaverunt itaque, & unuſquiſque tollens pallium ſuum, poſuerunt ſub pedibus ejus in ſimi-*

litudinem tribunalis, & cecinerunt tubâ, atque dixerunt, Regnavit Jehu.

De voce & de officio Syncelli, ſcitè Jacobus Goar in præfatione ad Georgii Syncelli Chronologiam, rejectis nonnullorum conjecturis : *Veriùs itaque*, inquit, *à cellâ & ſacrario*, ἀπὸ τοῦ κελλίου Σύγκελλος *dictus habeatur, qui intimioris Patriarchici ſacrarii Concellaneus, cellæ particeps, ſecretorum conſcius, teſtis ac comes aſſiduus, arcanorum non ambiguus interpres, negotiorum atque ſtudiorum ſocius, animæ rector, & (ſi velis) conſcientiæ arbiter* & πνευματικός. Antiqua hæc erga Patriarcham Syncelli *officia*. Quia tamen lego apud Suidam : ὅτι εἰς τὸν μέγαν Διονύσιον ἔγραψεν ἐγκώμιον Μιχαὴλ Σύγγελος Ἱεροσολύμων : *Quoniam in magnum Dionyſium ſcripſit encomium Michael Syngelus Hieroſolymorum*; inclino ut exiſtimem cum Junio Σύγγελος vocem ex Συνάγγελος derivatam eſſe & contractam : quam cum Leonardo Philara volens inter-

pretor *laterum Patriarchæ ſtipatorem, ac velut Angelum fidiſſimum, & laborum comitem ad negotia quævis obeunda paratiſſimum.* Neque idcircò putari velim rejectam à me inter menda Syncelli appellationem; cùm eoſdem Patriarcharum primarios miniſtros, & quaſi aſſeſſores, à probis & antiquis Scriptoribus nunc Syncellos, nunc Syngelos nuncupatos legam. Et concedo libens in eorum ſententiam qui hanc vocem negant eſſe puri & priſci Græci ſermonis, ſed vulgaris & mediorum ſæculorum Linguæ Græcæ à veteri primigeniâ plurimùm aberrantis.

Theodori Studitæ hanc epiſtolam accepit Michaël Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Syncellus jam captivus circa annum Chriſti 812. ſub Leone Armeno. Quamdiu exinde fuerit ſuperſtes, non liquet. Hoc tantùm de illo habet Joannes Curopalates in Theophilo, qui imperavit ex anno 829. in 841. per annos duodecim, menſes tres, & dies

viginti. *Ad hæc, beatum quoque Michaëlem, Syncellum Eccleſiæ, quæ eſt in ſanctâ civitate, multis cum aliis Monachis in carcerem conjecit,* (nempe Theophilus) *diuturnis cruciatibus eos adducere ſperans.* Hic tantus vir, qui ſancti Dionyſii Areopagitæ elogium compoſuit, quæcunque illum ſpectabant, accuratiſſimè perſcrutatus, Pariſienſem ejus apoſtolatum, & martyrium Pariſienſe aſſeruit, unde & exclamavit : *Quàm verè beata Pariſina civitas! quæ magnitudine quidem Galliæ civitatibus cedit: dum verò te (â Doctorum præſtantiſſime) theſaurum omnibus mundi divitiis pretioſiorem, in hereditatem accepit, patronúmque & excubatorem acquiſivit, ſplendidior cunctis & beatior appellata eſt.* Commune hoc fuit Michaëli Syncello cum Methodio, Anaſtaſio Bibliothecario, & Hincmaro Remenſi; immò & cum omnibus Græcorum, Gallorum, Romanorum, adeóque orbis totius Chriſtiani Eccleſiis, utì propriâ Diſſertatio-

ne à nobis demonſtratum eſt : hoc proprium Syngelo, quòd ſancti Dionyſii ætatem ſic dimetitur, ut ex ea omnem ejus rerum geſtarum ſeriem noſſe cuique liceat.

In ſuo S. Dionyſii Encomio, poſt medium : *Ad ſeptuageſimum*, inquit, *annum per mille opprobria duplum Pauli curſum peregit.* & iterum : *Septuaginta annis apoſtolicum curſum percurrit.* & denique ; *Beatum ejus agonem in poſtremis Trajani regni diebus fuiſſe accepimus.* Aperta eſt Syngeli ſententia : nam, ut aſſerit Chryſoſtomus homiliâ de Principibus Apoſtolorum, curſus evangelicorum laborum S. Pauli fuit annorum XXXV. quorum duplum ſunt ſeptuaginta. Non rectè igitur Baronius ſeptuaginta hos Dionyſii annos de univerſa ejus ætate interpretatus eſt.

Ex his principiis ad univerſam Dionyſii ætatem quaſi manu deducimur. Nam anno æræ Dionyſianæ 29. qui fuit ætatis Chriſti Domini quartus & tri-

geſimus à tribus menſibus fluens, duobus Geminis Conſulibus vidit Dionyſius in morte Chriſti prodigioſam Solis defectionem præter naturæ leges in plenilunio Paſchali commiſſam. Annum hunc mortis Chriſti probarunt viri docti, Antonius Capellus, Keplerus, & denique Henſchenius tomo 1. Sanctorum Aprilis, in diatribâ præliminari, exercitatione 1. ex antiquis primæ notæ Scriptoribus, Tertulliano, Severo Sulpicio, Auguſtino, Phlegonte, Proſpero, Idatio, Victorio, Caſſiodoro, Cedreno, & aliis. Hoc porrò anno æræ vulgaris 29. erat Dionyſius annorum xxv. ut ipſe teſtatur in epiſtolâ ad Apollophanem, & aſſerit Maximus in Scholiis epiſtolæ ejus decimæ, quæ eſt ad Apoſtolum Joannem.

Nunc annum inquiramus, quo Dionyſius, Paulo Athenis prædicante, ad Chriſtum eſt converſus. Paulus Oroſius libro 7. hiſtoriarum cap. 6. *Anno*

ejuſdem (Claudii ſcilicet Imperatoris) *nono expulſos per Claudium Urbe Judæos Joſephus refert.* Annus Claudii nonus eſt æræ vulgaris 49. Sequenti anno Chriſti 50. Claudii decimo converſum ad Pauli prædicationem Dionyſium Areopagitam rectè ſtatuit Petavius: nam ex Actorum capite 17. & 18. hac prædâ potitus Paulus, *egreſſus ab Athenis venit Corinthum, & inveniens quemdam Iudæum, nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italiâ, & Priſcillam uxorem ejus, (eò quòd præcepiſſet Claudius diſcedere omnes Judæos à Româ) acceſſit ad eos.* Sequenti igitur anno, Claudii decimo, Chriſti quinquageſimo nomen Chriſto dedit Dionyſius: ſtatimque Paulus Corinthum veniens, ibi Aquilam reperit cum Priſcillâ conjuge, recenti Claudii edicto Româ extorres.

Hinc porrò numeremus annos ſeptuaginta, confient anni centum viginti. Paſſus ergo eſt S. Dionyſius an-

no æræ vulgaris 120. ætatis ſuæ 116. quia hujus æræ anno 29. ætatis erat annorum dumtaxat quinque & viginti. Anno autem ejuſdem æræ 120. tertium jam annum imperabat poſt Trajanum Hadrianus, nempe ex die menſis Augusti XXIX. anni 117. Statuendum igitur ex præmiſſis paſſum eſſe Dionyſium ſub Hadriano, non autem ſub Trajano, ut ſcribit Suidas cum Michaële Syngelo; niſi apud hos auctores venit pro Trajano Hadrianus, quem Trajanum Hadrianum dictum conſtat ex nummis & inſcriptionibus antiquis. Martyrologium quod Romanum vetus putavit Roſvveydus, quódque Ado ſuo ipſius Martyrologio præfixit: V. *Nonas Octobris, Athenis Dionyſii Areopagitæ, ſub Adriano diverſis tormentis paſſi.* Explicui in Diſſertatione mea de uno Dionyſio, Athenis memoriam recoli Dionyſii V. Nonas Octobris ordinati Athenienſium Epiſcopi, qui deinde Pariſiis martyrium fecerit imperante Hadria-

no, VII. Idus Octobris. Non dubium tamen quin multa paſſus ſit S. Dionyſius ſub Domitiano : unde eſt quòd Græci plerique cum Methodio & Menæis martyrium ejus referant ad Imperium Domitiani : ſed congreſſus ejus cum Joanne Apoſtolo poſt Domitiani interitum, & Michaëlis Syncelli aſſertio de ſeptuaginta annorum apoſtolicis ejus laboribus ad Pauli labores duplis, cogit nos conſummatum illum credere, ut diximus, jam imperante Hadriano.

Sic definitâ Dionyſii ætate, nunc ejus tranſitum in Gallias tempori ſuo reddamus. Ne nihil non moveant adversùs Pariſienſem Areopagitam duorum Dionyſiorum aſſertores, negotium faceſſunt de miſſione S. Dionyſii in Gallias per Clementem Papam, & de primis aliquot poſt beatum Petrum Romanis Pontificibus. Communis eſt Annalium eccleſiaſticorum hæc difficultas, etiam iis qui de Dionyſio nihil

cogitant. Si quæſtionis hujus fibras omnes excutere aggrediar, juſti operis argumentum erit. Quæ noſtri ſunt inſtituti, paucis exequor. Primùm, illis non aſſentior qui Linum & Cletum à ſummo Pontificatu excludunt. De Clemente Bellarminum magnum Doctorem conſulo. Is in libro 2. de Romano Pontifice cap. 5. De Petri ſucceſſore, *Reſpondeo* (inquit) *poſſe rem totam ita componi & explicari. Apoſtolus Petrus paſſione ſua imminente, beato Clementi ſedem epiſcopalem reliquit. Id teſtantur graviſſimi auctores, Tertullianus de præſcriptionibus, Hieronymus lib. 1. in Iovinianum, & in caput 52. Iſaiæ, Ruffinus præfatione Recognitionum, & Invectivâ in Hieronymum, Ioannes III. Papa in epiſtolâ ad Epiſcopos Germaniæ: & præterea Clemens ipſe lib. 7. Conſtit. Apoſtol. cap. 37. Anacletus epiſtolâ 1. Alexander epiſt. 1. & Damaſus in Vitâ Petri. Cæterùm Petro mortuo Clemens in ſede apoſtolicâ ſedere noluit,*

donec

donec vixerunt Linus & Cletus, qui ipſius beati Petri adjutores in epiſcopali officio fuerant. Quocirca primus à Petro Pontifex, non Clemens, ſed Linus fuit. Id ita eſſe colligimus, primùm ex Epiphanio, hæreſi 27. qui ex ſententiâ veterum tradit, à Clemente ſedem recuſatam, dum viverent Linus & Cletus. Deinde, ex hac ipſa ambiguitate. Si enim abſque ullâ contentione ſucceſſiſſet Petro Clemens, aut Linus, aut quicunque alius, nulla certè quæſtio de primo ſucceſſore Petri extitiſſet, quemadmodùm de primo ſucceſſore Jacobi Hieroſolymitani, & Marci Alexandriæ, & ipſius Petri Antiochiæ nulla unquam fuit quæſtio.

Quia verò in Romanâ Eccleſiâ, poſt Petri obitum ſancta contentio ex humilitate nata eſt, & unus fuit, & alter eſſe debuit primus ſucceſſor Petri, inde nonnulla obſcuritas in hanc ſucceſſionem invecta eſt. Atque ex his conciliari poſſunt auctores qui aut Clementem Lino, aut

Linum Clementi anteponunt. Siquidem Irenæus, Euſebius, Epiphanius, Optatus, Auguſtinus, Hieronymus, dum aſſerunt Petro Linum proximè ſucceſſiſſe, verum aſſerunt; ſed non negant id factum eſſe, quia Clemens epiſcopatum illum recuſaverat. Porrò Tertullianus, Hieronymus, Ruffinus, & cæteri qui Clementem à Petro ſucceſſorem relictum eſſe ſcribunt, rem veram narrant; ſed nec ipſi negant, Clementem eo tempore ſedem accipere noluiſſe. Hæc Bellarminus. Ad Auctores porrò ab eo citatos, qui Petro Clementem ſucceſſiſſe dicunt, accedit Beda lib. 2. Hiſt. Anglorum, cap. 4. Marianus Scotus ad annum Neronis XIV. Hugo de S. Victore in myſticâ Arcæ Noë deſcriptione, & his omnibus antiquior Eucherius ad Valerianum: *Clemens*, inquit, *vetuſtâ proſapiâ Senatorum, atque etiam ex ſtirpe Cæſarum, omni ſcientiâ refertus, omniumque liberalium artium peritiſſimus, ad hanc juſtorum viam tranſiit, itáque etiam in*

tâ excellentiâ effloruit, ut Principis quoque Apoſtolorum ſucceſſor extiterit.

Franciſcus Turrianus lib. 2. pro epiſtolis Pontificum adversùs Magdeburgenſes, cap. 10. *Clemens*, inquit, *electus & ordinatus eſt Epiſcopus Romanus ab ipſo Petro, cùm jam paſſio ejus inſtaret. Unde quia Cletus cum Lino & poſt Linum Petri in eodem Pontificatu adminiſtrando adjutor fuerat, quâ ratione Clemens ſucceſſit Lino, eâdem ſucceſſit & Cleto. Lino verò ſucceſſit, quia Epiſcopatum Romanum, quem Linus tanquam adjutor Petri, cum proprio Epiſcopo, id eſt, cum ipſo Petro gubernabat, idem Clemens tanquam proprius ac principalis Epiſcopus ſuſcepit. Simili ratione ſucceſſit Cleto: nihil enim differunt niſi quòd Linus vivente adhuc Petro mortuus eſt, Cletus verò non. Ex quo factum eſt ut Clementem alii ſecundum poſt Petrum, alii tertium, alii quartum numerent: ſintque quodammodò omnia vera, ſi rationes ſuccedendi diſtinguantur. Eſt enim*

Clemens, ſcilicet ſecundus poſt Petrum, ut principalis: tertius, ut ſucceſſor Lini; quartus, ut ſucceſſor Cleti, qui poſt mortem Lini fuit quoque Petri adjutor, cui ſucceſſit ut principalis Clemens. Sic profitetur Turrianus fuiſſe quidem Petrum, Linum, Cletum, & Clementem omnes Epiſcopos Romanos: ſed solùm Petrum & Clementem ſummos Pontifices, ſive Univerſalis Eccleſiæ Papas; Linum porrò & Cletum fuiſſe dumtaxàt illorum adjutores. Idipſum expreſsè docet Hugo Flaviniacenſis in Chronico ſuo: nempe ex illâ Joannis tertii Papæ epiſtolâ ad Epiſcopos Galliæ & Germaniæ, quam Baronius & plerique alii eruditi confictam eſſe non uno argumento probant.

Hæc ſi dixerimus, expeditum habebimus noſtrum Areopagitam, quem ſub Petri & Pauli martyrium Clemens in Gallias deſtinarit. Sed amplectimur communiorem & ſaniorem ſententiam, quæ Linum & Cletum

ſummos Eccleſiæ Pontifices agnoſcit, præſertim propter illa verba Canonis Miſſæ antiquiſſimi, *Lini*, *Cleti*, *Clementis*, & Damaſi auctoritatem in libro de Romanis Pontificibus: potiùs verò citato Bellarmino adhæremus, aſſerimuſque miſſum in Gallias Dionyſium Areopagitam, cùm abdicato priore ſuo epiſcopatu Athenienſi Romam adveniſſet haud multò poſt paſſionem Apoſtolorum Petri & Pauli, quos ille (ut putabat) adhuc ſuperſtites, officii causâ viſurus, eò ſe contulerat anno æræ vulgaris 65. vel 66. vigente nimirùm ſanctâ illâ contentione inter Clementem, quem ſummum Pontificem Petrus dixerat, & Linum, in quem Clemens id oneris ac dignitatis rejiciebat.

Hanc verò piam contentionem ſatìs diu viguiſſe, ac eâ ſtante Clementem ſummi Pontificis auctoritate uſum, ſuadent graviſſimorum & vetuſtiſſimorum, quæ protulimus, Scriptorum

teſtimonia, primum à Petro Clementem Petri cathedram obtinuiſſe aſſerentium. Dum enim Clemens ſupremam illam ac ſolitariam Chriſti in terris Vicarii dignitatem in Linum derivare conaretur, famâ interim vulgante, à Petro ipſo morti proximo dictum eſſe Clementem illi ſucceſſorem, vix erat qui ex momento Petri in crucem ſublati non eum unicum Chriſti in terris Vicarium agnoſceret, quàmlibet ille id faſtigii à ſe averteret, & in Linum transferre moliretur. Romam ergo ſub id tempus perveniens Dionyſius Clementem ut Papam ſalutavit, atque ab eo miſſionem in Gallias accepit. Inſtabis: Non debebat Clemens ſuâ voluntate abdicatus pro Papâ ſe gerere. Fateor: Sed Lino Papatum à ſe amoliente, & in Clementem retorquente, vel hoc ipſo ſtabat Clemens in ſuo jure; ita ut quod ipſe Petri ſuffragio ſibi vindicare nollet, Lini indulgentiâ & quaſi delegatione

præ ſe ferre cogeretur. Sic ergo Dionyſium in Gallias emiſit, ſive ut Papa conſtitutus à Petro, necdum planè abdicatus, ſive ut à Lino poſt ſuam abdicationem delegatus, & quaſi pro Papâ ſe gerere juſſus. Fruſtrà igitur quis objecerit haud legitimam fuiſſe Dionyſii miſſionem illam, cùm ſic & Clementis & Lini ipſius auctoritate niteretur.

Deinde ſi Polycarpo Smyrnenſi Irenæum in Gallias, Chriſti fidem propagaturum, emittere licuit, cur non potuerit Clemens tanquam Chriſti vel Apoſtolorum diſcipulus, Dionyſium in Gallias prædicandi causâ Evangelii deſtinare? Nunc tandem quod ad eccleſiaſticorum dogmatum fidem gravioris momenti eſt, ſuos Dionyſio libros vindicare aggrediamur. Hi ſunt vulgati, & in omnium manibus.

De cæleſti Hierarchiâ.
De eccleſiaſticâ Hierarchiâ
De divinis Nominibus.
De myſticâ Theologiâ.
} Libri ſinguli Timotheo inſcripti omnes.

Epiſtolæ decem.

Ad Caïum Monachum quatuor.
Ad Dorotheum Miniſtrum una.
Ad Soſipatrum Sacerdotem una.
Ad Polycarpum Antiſtitem una.
Ad Demophilum Monachum una.
Ad Titum Epiſcopum una.
Ad Joannem Apoſtolum & Evangeliſtam una.

Bipartitus eſt illorum cuneus, qui Dionyſio Areopagitæ vulgò adſcripta Opera ipſi abjudicarunt. Primi fuere hæretici, qui cùm cernerent præcipua catholicæ fidei dogmata, à quibus illi aberrarunt, his Areopagitæ libris ſic ſtabiliri, ut à veterum Patrum nemine alio firmiùs aut evidentiùs; eò maximè ſpectarunt ut populis perſuaderent, illos eſſe recentioris cujuſpiam viri creduli commentarios, ad conci-

liandam eis fidem, falsò Areopagitæ titulo prænotatos. Tenebriones hos abundè confutarunt inter alios Martinus Debrio in Vindiciis Areopagiticis, Petrus Lanſſelius in Diſputatione Apologeticâ de S. Dionyſio ejuſque ſcriptis, & Petrus Halloix de vitâ & Operibus S. Dionyſii, quæſtione ſecundâ. Sic autem illorum inſultus retuderunt, ut ſupervacaneum putem actum agere.

Claſſis altera eſt orthodoxorum, inter quos famam tulit Joannes Moririnus, qui citatis Areopagiticis ſuperſtes fuit, & quaſi poſt acceptam cladem reparatis copiis pugnam redintegravit. Hic parte ſecundâ de ſacris ordinationibus, primis ſex capitibus; *Certiſſimum eſt*, inquit, *iſtius viri, quicunque ille ſit, Opera per hæreticos orbi Chriſtiano primùm innotuiſſe: hæreticos his uſos, ut hæreſim ſuam defenderent. Ideò, ut illis certior & auguſtior accederet auctoritas, auctori nomen Areopagitæ*

primos indidiſſe. Catholicos autem eorum Operum anteà inſolentes & ignaros ea tum repudiaſſe, cauſatos perſonam fœtúmque ſuppoſita eſſe. Tum numero XI. ſubdit: *Paulatim tamen Catholici librorum iſtorum lectioni diligentiùs incumbentes, eorum ſoliditatem in fide, ſenſumque abſolutè catholicum admirati, tandem eos amplexi ſunt, & læti, Areopagitæ nomen auctori continuarunt.* Et poſt paucos verſus: *Hunc è manibus hæreticorum excuſſum ſibi vendicarunt, & ex iis varia teſtimonia in fidei catholicæ confirmationem, velut ex armamentario inſtructiſſimo depromſerunt, ut ſæpe fecit Martinus I. Papa, & ante eum Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus, ut ipſe ibidem teſtatur, & poſt eum ſæpius Concilium ſextum generale. Primus Dionyſium cum elogio citaſſe legitur S. Gregorius Papa homiliâ* XXXIV. *in Evangelia: Fertur verò Dionyſius Areopagita, antiquus videlicet & venerabilis Pater,* &c. In hac certè homiliâ quæ refert

S. Gregorius de novem ordinibus Angelorum, déque illorum officiis ad Eccleſiæ totius adminiſtrationem, non omnia hauſiſſe potuit ex Pauli Apoſtoli Epiſtolis, aliiſve alterutrius Teſtamenti locis: nec dubium quin ea ex Dionyſii cæleſti Hierarchiâ deprompſerit; qui nimirùm Pauli magiſtri ſui, in tertium cælum & in paradiſum rapti, ſecretorum conſcius, (ut obſervat Michaël Syngelus) angelica iſta vel ex ejus ore exceperit, vel etiam ipſe Deo revelante cognoverit, quæ apud ſcholaſticos æquè ac myſticos tantâ in veneratione ſunt.

Age igitur, arcem ipſam difficultatis invadamus. Vulgatorum Dionyſii Areopagitæ nomine ſcriptorum quicunque eſt auctor, is epiſtolâ ſeptimâ quæ eſt ad Polycarpum, aſſerit, ſe dum eſſet juxta Heliopolim, obſervaſſe cum Apollophane mirabile illud Solis deliquium, quod præter naturæ leges Chriſto de cruce pendente evenit.

Se Pauli Apoſtoli & Hierothei diſcipulum profitetur, non uno loco, præſertim verò cap. 2. & 3. de divinis Nominibus. Eodem capite 3. Timotheo narrat ſe beatiſſimæ Dei parentis Virginis exequiis interfuiſſe cum Jacobo fratre Domini, & Petro Theologorum antiquiſſimâ ſummitate, & eximio præceptore ſuo Hierotheo, qui cæteris omnibus ſacris laudatoribus antecellebat, totus excedens, totus ſe deſerens, rerúmque quas laudabat, conſortium patiens, & ab omnibus à quibus audiebatur ac videbatur, tam notis quàm ignotis, divino numine afflatus, divinuſque planè laudator cenſebatur. Epiſtolâ x. ad Joannem Apoſtolum, monet ſe Deo revelante agnoviſſe, brevì illum è Pathmos inſulæ ergaſtulo ſolvendum, & in Aſiam rediturum, ubì mutuis adhuc frui poſſent alloquiis.

De Hierotheo tamen ſic agit Morinus ut de homine fabuloſo; unde

& in ejus laudatorem Dionyſium ità inſultat: *Quis præterea eſt iſte apud eum ſolum, tam famoſus Hierotheus ipſius præceptor, cujus longè ſæpius meminit, & multò evidentiùs, quàm ſancti Pauli? Qui tam multos & admirabiles Theologiæ libros compoſuit; quos ſanctus Thimotheus non capiebat, ipſe Dionyſius vix caperet: de quo tamen, & ejus libris apud Auctores eccleſiaſticos nulla mentio, nulla umbra, nulla ſuſpicio. Dionyſii Opera poſt annos à nato Chriſto quingentos publicantibus hæreticis Eutychianis orbi Chriſtiano primùm innotuerunt. At præclara iſta Hierothei Opera hactenus in tenebris deliteſcunt: nomen ipſum hactenus incognitum, ſolâ Dionyſii narratione notum. Nulli Catholici, nulli hæretici illius unquam meminerunt. Stylus tamen magiſtri, ſtylo diſcipuli ſimillimus, ut ex pauculis, quæ ab eo refert Dionyſius, evidenter colligitur: ovum ovo, lac lacti vix ſimilius; ita ut videantur in eodem ludo inſtituti.* His dictis Morinus velut

arma abjiciens ſic concludit : *Quum igitur tantæ támque perplexæ ſint difficultates in aſſerendâ huic Auctori ſummâ antiquitate chriſtianâ, rem in medio relinquamus. Unuſquiſque per nos de hac quæſtione, ut libuerit, opinetur.* At ego ſic hominem aggredior : Fateris, Morine, iſtum, quicunque eſt, qui magiſtri ſui Hierothei meminit, qui in morte Chriſti Salvatoris, Solis eclipſim prodigioſam à ſe obſervatam affirmat, virum fuiſſe ſolidæ fidei, & ſenſûs abſolutè catholici ; Martino I. Papæ, Sophronio Patriarchæ Hieroſolymitano, Concilio ſexto generali, & Gregorio Magno Papæ in primis probatum. Addo ego: Si non ipſe eſt Areopagita, mendax eſt, impoſtor eſt, ſuperbus eſt, hypocrita eſt, & ſacrilegæ ſimulationis reus, adeóque probis omnibus execrandus. *Quis talem ac tantum virum* (ait vir doctiſſimus Leonardus Leſſius datâ ad Lanſſelium epiſtolâ.) *credat tam putidè voluiſſe men-*

viri, & tam abſurdâ hypocriſi, falſæ quadam ſpecie antiquitatis, & apoſtolicæ conſuetudinis mundo impoſturam facere? Non cadunt iſta in virum probum, & ſanæ mentis; multò minùs in ſapientiſſimum & ſanctiſſimum.

Mirum eſt autem, fictitium hominem putari à Morino Hierotheum, quem memorant colúntque Græci, Romani, Hiſpani ad quartam diem Octobris. Vitam ejus ſcripſit Petrus Halloix in primi ſæculi Patribus; multa de eo Martyrologium Hiſpanicum Tamayi Salazar, & Bivarius in Chronicon Dextri: apud quos plurima reperies de ejus natali ſolo, epiſcopatu Segobienſi, rebus geſtis, & ſacris reliquiis. Quod tamen ibi leges, fuiſſe illum Epiſcopum Athenis ante Dionyſium Areopagitam, qui eo magiſtro gloriatur, ſic intellige; fuiſſe illum Athenis creatum Epiſcopum, non titulo, ſed charactere; qua ratione complures Preſbyteros primis Eccleſiæ ſæculis

fuiſſe ordine & charactere, non titulo Epiſcopos, ex Hieronymo & ex Paulo ipſo Apoſtolo alibi docuimus. Ut ſit fides beato Michaëli Syngelo Hieroſolymitano, qui in elogio S. Dionyſii, illum aſſerit à Paulo Apoſtolo primum Athenienſibus fuiſſe Epiſcopum conſecratum. Quæ porrò Hierothei ſcripta, nec Timotheum, nec ſeipſum ſatìs capere affirmat Dionyſius, ne dubita quin ea fuerint de myſticæ Theologiæ arcanis, quæ Hierotheus *patiens divina*, ex propriâ experientiâ contexuerit. Quæ quàm ſublimia fuerint, & ſupra multorum etiam Theologorum captum, intelliges ex hujus argumenti tractatibus à Bloſio, à Joanne de Cruce, & à ſanctâ Virgine Tereſiâ conſcriptis; ut de cæteris taceam.

Sufficere poſſet ad vindicandos Areopagitæ libros ſuos unum hoc argumentum, cujus vim nemo adverſariorum unquam eludet: alterum haud impru-

imprudenter attigit Petrus Halloix in ſuo Dionyſio, quæſtione 2. argumento quinto. *Non eſt*, inquit, *divini moris, nec æternæ illius providentiæ, opera vana & fictis mendaciis plena, veris ornare & cohoneſtare miraculis. Areopagitæ opera, cùm variis infirmitatibus in tanti viri honorem applicarentur, multis divinitùs honeſtata ſunt miraculis, ut capite* XXX. *Vitæ attigi. Quare, ſignum eſt ſatis evidens & luculentum, ejus eſſe illa opera, cujus in honorem ea patrata ſunt.* Scio reponi poſſe, mirabiles ejuſmodi eventus; fidei potiùs precantium tribui ſolere quàm ſacrorum pignorum veritati. Aliam admoveo machinam, magnorum virorum auctoritatem, qui Dionyſii, de quibus agimus libros, quin legitimi eſſent Areogagitæ partus, minimè dubitarunt.

Ex hôc teſtium innumerabili cœtu duos omnium inſtar in rem noſtram voco, Thomam Aquinatem, & Franciſcum Suarezium. Ille verè Angeli-

cus Doctor Summam ſuam Theologicam, aliáque opera ſua ſcholaſtica magnam partem ex Dionyſii libris contexuit, ut uno ferè oculi motu intueberis in ſerie locorum quæ ex iis S. Thomas citavit, quam proponit Balthazar Corderius in Prolegomenis tomi prioris ejus operum, obſervatione generali duodecimâ, quam ſic orditur: *Juvabit etiam non parùm ad pleniorem S. Dionyſii intelligentiam, ſcire loca quæ D. Thomas ex ipſo citat, ut ſicut Doctor Angelicus ex illo Sole magnum Sapientiæ lumen accepit, ita viciſſim luminis ejuſdem radios ad captum noſtrum aptè diſtributos, hierarchico ritu ad nos transfundat.* Sic verò concludit, poſt accuratam non tantùm librorum, ſed etiam capitum ſingulorum recenſionem, ex quibus hauſit magnus Doctor: *Ex his, aliiſque locis quæ me effugerunt, facilè patet, Angelicum Doctorem totam ferè doctrinam Theologicam ex puriſſimis Dionyſii fontibus hauſiſſe; cùm vix ulla*

ſit periodus, è quâ non ipſe tanquam apis argumentoſa Theologicum ſuccum extraxerit, & in Summam, veluti quoddam alveare, pluribus quæſtionibus articulíſque ſeu cellulis, Theologico melle ſervando diſtinctum redegerit.

Porrò Suarez, de quo dubitatum doctiórne eſſet, an ſanctior; de quo ſæpè quæſitum an ævi noſtri dicendus habendúſque eſſet Thomas Aquinas, an verò Auguſtinus: ille in præfatione tomi ſui de Angelis, cavendos admonet qui Dionyſio Areopagitæ libros ſuos abrogare contendunt. Hîc ego quæſierim ex Hypercriticis noſtris, ſatíſne prudenter in his ſummis viris diſcernendæ librorum ætatis prudentiam deſiderent, atque an modeſtè ſatis eos imperitiæ notare audeant. Nunc Morini quædam objecta diluamus.

1. *Certiſſimum eſt*, inquit, *iſtius viri, quicumque ille ſit, Opera per hæreticos orbi Chriſtiano primùm innotuiſſe.* Hoc verò nos falſiſſimum eſſe contendi-

mus : nota enim fuerunt nonnullis ab ipſo Dionyſii auctoris ævo ; quamvis primis Eccleſiæ ſæculis in vulgi uſus emiſſa non fuerint, ipſius videlicet auctoris cautione , quam aperuit cap. 1. de Eccleſiaſticâ Hierarchiâ , capite 1. de divinis nominibus , & capite 1. de myſticâ Theologiâ. Hujus conſilii ratio fuit , quia cùm priſcis illis temporibus laborandum eſſet in propagandâ fide , ac ſtabiliendis myſteriis ad ſalutem neceſſariis ; putà de Dei unitate in eſſentiâ , & Trinitate in perſonis, de Chriſti Incarnatione, Paſſione , Reſurrectione , & Aſcenſione , de præceptis caritatis erga Deum & proximum , de petendis in oratione Dominicâ , (ex quibus ferè conſtat illud quod pueris & rudibus tradi ſolet doctrinæ chriſtianæ compendium) non erant oneranda neophytorum ingenia tot illis arcanis , quæ libris Dionyſianis continentur. Et hoc ipſum videntur ſpectaſſe Origenes , Euſebius , Hie-

ronymus, aliíque primorum quatuor Eccleſiæ ſæculorum Patres, ut conſultò ab iis memorandis abſtinerent quæ ad vulgi uſum nollent traduci. Hinc raritas exemplarium: quam etiam auxiſſe creditur externorum Philoſophorum, Platonis, Philonis, aliorúmque mundi ſapientum invidiâ, qui Dionyſianis ſententiis velut propriis paſſim uſi, fontes ipſos unde hauſerant, oblimare atque extinguere ſtuduerunt. Alioqui dubium non eſt, quin Dionyſii opera norit Chryſoſtomus, qui eum πετηνὸν τȣ ȣ̓ρανȣ, hoc eſt, volucrem cæli appellavit, teſte Anaſtaſio in Epiſtolâ ad Carolum Calvum: & plurimæ exſtant ſententiæ Gregorii Nazianzeni, Clementis Alexandrini, aliorúmque Patrum, qui primis quatuor à Chriſto ſæculis floruerunt, quas ad guſtum Dionyſii Areopagitæ deſcriptas eſſe prudentiſſimus quiſque agnoſcit. Has collegere plurimas Martinus Delrio in Areopagiticis, & Petrus

Halloix in ſuo Dionyſio: quibus addas per me licet Joannem Pearſon Preſbyterum Anglum in Vindiciis Epiſtolarum S. Ignatii, adversùs Joannem Dallæum, parte 1. cap. 10. ubi vulgatorum Dionyſii Operum auctorem, quarto poſt Chriſtum ſæculo, & poſtremis Euſebii Cæſarienſis temporibus ſcripſiſſe contendit, alioqui probrosâ pſeudo-Dionyſii appellatione abuſus.

2. Sed inſtat Morinus capite illo primo, numero VII. Antiquiſſimum, ait, monumentum eccleſiaſticum in quo Dionyſii Areopagitæ, & Operum ejus diſerta fit mentio, habetur tomo 2. Conciliorum, in collatione Conſtantinopoli in Juſtiniani Imperatoris palatio facta anno 532. inter catholicos & hæreticos Severianos, ſive Acephalos. Utroſque Conſtantinopolim acceſſiverat Imperator, ut collatione habitâ experiretur, an mutua concordia inter eos conciliari poſſet. Epiſcopi quinque catholici aderant cum

Preſbyteris ſeptem : Acephali verò Epiſcopi ſex, quos nonnulli Preſbyteri & Monachi comitabantur. In collatione ſecundæ diei ſic Catholici objicientibus hæreticis reſpondent : *Quod autem priùs dici debuit, hoc in ultimo dicimus. Illa enim teſtimonia quæ vos Dionyſii Areopagitæ dicitis, unde poteſtis oſtendere vera eſſe ſicut ſuſpicamini ? Si enim ejus erant, non potuiſſent latere beatum Cyrillum. Quid autem de beato Cyrillo dico ? quando & beatus Athanaſius, ſi pro certo ſciſſet ejus fuiſſe, ante omnia in Nicæno Concilio, de conſubſtantiali Trinitate eadem teſtimonia protuliſſet adversùs Arrii diverſæ ſubſtantiæ blaſphemias. Si autem nullus ex antiquis eorum meminit, unde nunc poteſtis oſtendere quia illius ſint, neſcio.* Ad hæc refero ; quid mirum ſi ignoti fuerunt libri Dionyſii Areopagitæ quinque illis Epiſcopis & ſeptem Preſbyteris in Juſtiniani palatium evocatis anno 532. cùm illi ob cauſas quas di-

ximus, vix ullis in Bibliothecis expoſiti eſſent? Athanaſio autem & Cyrillo ſatìs fuit, Arrianos alioſque ſui temporis hæreticos ex Scripturis ſacris confutare; præſertim cùm illo adhuc tempore Opera Dionyſii nondum publico ſatis probata eſſent.

3. Urget Morinus: Citat paſſim Dionyſius omnes Joannis Evangeliſtæ libros, adeóque Apocalypſim, quam conſtat receptam non fuiſſe inter Scripturas canonicas ante Concilium Laodicenum, nec ante Gregorium Nazianzenum, nec ante Amphilochium, aut ab aliis Græcis, ut teſtatur Hieronymus in epiſtolâ 129. ad Dardanum. Eſto: quid mirum ſi Dionyſio Joannis Apoſtoli æqualis ſui, & amicitiâ ſibi conjunctiſſimi Opera nota fuere, & probata, quæ deinde pedetentim vulgo innotuere?

4. Pergit Morinus: Ante Concilium Nicænum *οὐσίαν* ab hypoſtaſi non diſtinxere Patres. Reſpondeo: His ocu-

latior Dionyſius diſtinguendam cognovit tertio ante Nicænam Synodum ſæculo.

5. Millenariorum ſententiam improbat Dionyſius Hierarchiæ Eccleſiaſticæ capite 7. hujus auctorem perſtringens Papiam Epiſcopum Hierapolitanum. (ut cenſet hunc locum exponens Maximus) Teſtatur autem Papias apud Euſebium lib. 3. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, câpite ultimo, neminem Apoſtolorum ſe unquam vidiſſe. Fortaſſe autem vidit Papias Dionyſium Areopagitam, qui omnibus Apoſtolis ſuperſtes fuit. Utut ſit, Papiæ non meminit Dionyſius, ſed tantùm erroris Millenariorum, cujus origo non à Papiâ, ſed ab ipſo Apocalypſis capite vigeſimo malè intellecto, & ſecundùm litteræ corticem; non, ut oportuit, ſecundùm verum & myſticum ſenſum accepto repetenda eſt.

6. Capite ultimo libri de Herarchiâ Eccleſiaſticâ, dicit auctor ſe tenere de

baptiſmo infantium *quod divini,* inquit, *noſtri Pontifices ab antiquâ traditione myſticè edocti ad nos uſque produxerunt.* Non conveniunt hæc verba (ut putat Morinus) Apoſtolicorum temporum viro. Conveniunt porrò, ut opinor, maximè, & præſertim Dionyſio macrobio; qui, ut oſtendimus, ſeptuaginta annos in laboribus Apoſtolicis exegit. Quis verò neſcit, longum & breve, antiquum & recens, novùm & vetus comparatè dici; idémque eſſe uni vetus, quod alteri novum? Antiquus erat Dionyſius comparatè ad ſequentium ſæculorum viros; Dionyſio tamen antiqua erat traditio quæ ab Apoſtolis manaverat, aut ab aliis Chriſti diſcipulis qui Chriſto convixerant, & qui plerique, ac fortaſſe omnes, tum cùm hæc ille ſcriberet, è vivis erepti ad ſuperos evolarant.

7. Quæ de Monachis ſcripſit Dionyſius, fruſtrà contendit Morinus primo Eccleſiæ ſæculo non convenire,

ut intelliges ex Balthazare Corderio, & ex auctoribus ab eo citatis annotatione in caput ſextum de Hierarchiâ Eccleſiaſticâ.

8. Reſtat difficultas, quam ſic proponit Morinus parte illâ ſecundâ de ordinationibus, cap. 5. num. 1. *Refert Dionyſius capite 4. de divinis nominibus, teſtimonium ex epiſtolâ S. Ignatii ad Romanos, cùm ad martyrium duceretur, ſcribentis. At librum de divinis nominibus dedicat Dionyſius S. Timotheo Epheſiorum Epiſcopo. Vivebat igitur Timotheus poſt Ignatii epiſtolam ad Romanos miſſam. Verùm ex eodem Ignatio ſcribente ad Philadelphios conſtat Timotheum, cùm Ignatius ad Romanos ſcriberet, defunctum fuiſſe. Conſtat præterea ex epiſtolâ ejuſdem Ignatii ad Epheſios, Oneſimum Timotheo ſucceſſiſſe. Itaque ſcribit Dionyſius Timotheo, longo tempore poſt Timothæi mortem.*

Ad hanc objectionem reſpondet S. Maximus, hoc teſtimonium à Diony.

ſio non eſſe allegatum ; ſed cùm ab aliquo minùs perito ad marginem adnotatum fuiſſet, poſtea in textum à margine irrepſiſſe. Id ipſum affirmat Petrus Halloix quæſtione 2. & 3. de Operibus S. Dionyſii. Ubi etiam multis refellit & Dextrum, & Bivarium, qui Timotheum, ad quem ſcribit Dionyſius, Marcellum interpretati ſunt. Cenſuit Cardinalis Baronius Timotheum illum non eſſe Epheſiorum notiſſimum Epiſcopum, ſed alium quempiam ejuſdem nominis. Urget autem Morinus, Timotheum illum, quamvis Epiſcopum, ſæpe à Dionyſio *filium* nuncupari : *quod certè*, inquit, *abſurdum eſt, & ab uſu eccleſiaſtico, & à rectâ ratione maximè alienum.*

Quicquid autem ſit de illo Ignatii loco, *amor meus crucifixus eſt*, ſive ſit Dionyſii ipſius, ſive à gloſſatore in ejus textum inſertus, aliam ineo viam, quâ his difficultatibus me expediam, quam & ſequitur & multis probat

Petrus Halloix. Experimur nos qui ſcribendis libris incumbimus, ſubinde illos à nobis retractari, &c. iis interpolari adjectionibus quæ illi tempori non conveniunt quo primùm eos ſcribere aggreſſi ſumus. Quod cùm etiam junioribus certum ſit contingere, quantò magis in Dionyſio admittendum eſt, quem ex Michaële Syngelo ſuprà oſtendimus, annos admodum ſeptuaginta quà ſcribendis ad bonum publicum libris, quà excurſionibus in diverſas provincias, aliiſque Apoſtolicis laboribus exegiſſe. Fuiſſe autem Timotheum timidioris ingenii, & ætate juniorem Dionyſio, eóque *κατὰ τὸ πρέπον* *filium*, ab eo ſubinde appellatum, ſcitè admonet Petrus Halloix, præſertim quæſtione illâ tertiâ de vitâ & Operibus S. Dionyſii, §. *Secundum argumentum*, ubi hæc habet: *Iam autem Timotheus reſpectu Dionyſii erat admodùm juvenis, quippe qui Neronis tempore vocetur adoleſcens, & ad quem*

ſcribens Paulus aicat : Nemo adoleſcentiam tuam contemnat. tùm autem Dionyſius duplam circiter illius ætatem exegerat. Valet porrò hæc obſervatio, etiam ad id quod opponit Morinus citare Dionyſium nonnulla ex Apocalypſi, & ex Evangelio Joannis, & alia quædam proferre, vivente adhuc Timotheo nondum ſcripta, aut nondum promulgata. Hæc nimirum poſt mortem Timothei ſcriptis ſuis illigavit Dionyſius, multis annis ei ſuperſtes, cùm Opera ſua ſubinde recognoſceret.

DE
UNA S. SYRA,
ſive SYRIA,

VIRGINE RILLIACENSI pariter & Eboriacenſi, ſancti Fiacrii ſorore, alterâ ferè à Trecis leucâ horariâ, in pago ſui nominis ad Sequanam, miraculis celebri.

OPUSCULUM II.

DE
UNA S. SYRA, ſive SYRIA,

VIRGINE RILLIACENSI pariter & Eboriacenſi, ſancti Fiacrii ſorore, alterâ ferè à Trecis leucâ horariâ, in pago ſui nominis ad Sequanam, miraculis celebri.

OPUSCULUM II.

PERMAGNI referre exiſtimo ad Sanctorum cultum, ut de illis nonniſi benè comperta affirmentur. Nam ſi de illorum genere aut rebus geſtis incredibilia quædam cir-

cumferantur, proximum eſt ut de eorum quoque ſanctitate vacillet populorum fides, & obganniant inſultentque hæretici, qui Sanctorum venerationem pro ſuperſtitione habent.

Protulit recentior ætas Scriptores nonnullos, qui ſanctam SYRIAM prioribus ſæculis per Galliarum Eccleſias præcipuâ in veneratione habitam, in duas diffudêre: unde hæſitatio in vulgo, num Rilliaci verum in illâ numen, an larvam numinis colat. Facem his prætulit Arturus du Monſtier in ſacro Gynecæo, & illo copioſior Carolus Cointius in Annalibus Eccleſiaſticis Francorum, tomo tertio, ad annum Chriſti 652. numero LV. *Erat*, inquit, *beato Fiacrio ſoror, nomine Syra. Hæc relictâ patriâ fratrem in eremo Meldenſi jam degentem adiit, ab eóque, necnon a Farone Meldenſi Pontifice confirmata eſt in ſancto propoſito: deinde conceſſit in diſciplinam Faræ piiſſimæ Abbatiſſæ, quæ ſoror erat Faronis Epiſcopi*

præerátque Brigenſi puellarum Monaſterio. Illic omni obſervantiâ caſtimoniæ, abſtinentiæ, pietatis, obedientiæ, humilitatis, caritatis, adeò cæteris Monialibus præluxit, ut evocata fuerit Catalaunum: ibi Monaſterio exſtructo; cui etiam posteà præfuit; inſignem ſui reliquit memoriam, multis in vitâ póſtque mortem clara miraculis. Tum poſt paucos verſus: *Catalaunenſes Syram virginem confundunt cum Syriâ matronâ, cujus feſtivitas ſexto Idus Iunias in pago Trecenſi celebratur, ut illo die Molanus in Additionibus ad Uſuardum docet his verbis;* In territorio Trecaſſinenſi, B. Syriæ, matronæ. *Eumdem errorem commiſerunt Menardus libro ſecundo Obſervationum ad diem octavam Iunii; & Deſguerroiſius in Vitâ ſanctæ Syriæ, ſub Leuſo ſeu Lupo Epiſcopo. Vox (matrona) quâ Uſuardus utitur, non parum torquet Deſguerroiſium; qui virgines nobiles à veteribus Grammaticis matronas olim dictas affirmat, nec ullum aſſertionis ſuæ teſtem*

producit. Quo tempore Syria vixerit, haud ſcitur. Hujus mentio ſit in ſolis Actis ſancti Saviniani, ad cujus tumulum inſigni miraculo viſum recepit. Beatus Savinianus in agro Trecenſi martyrium ſubiit ſub Aureliano Imperatore: ſed ab ejus paſſione uſque ad ætatem Syriæ quantum temporis intervallum effluxerit, manet incompertum. Duplicem 29. *Ianuarii.* *ſancti Saviniani Vitam edidit Bollandus: priorem ac vetuſtiorem ex duobus codicibus, Trevirenſi & Rotomagenſi; alteram ex Promptuario Tricaſſino Nicolai Camuzati aliquantò prolixiorem, & ex priore elegantiùs expolitam. In utriuſque fine narratio initur de Syriâ muliere cæca, quæ cùm multa de ſancti Saviniani martyrio & miraculis audiiſſet, locum in quo ſepultus quieſcebat, expetiit, viſumque recuperavit, quem ab annis quadraginta, ut Petrus de Natalibus & Bollandus ſcribunt, aut ab annis ſeptuaginta, ut Trevirenſis codex habet, amiſerat.* Subjicit loca integra ex duabus

vitis S. Saviniani, & ſic denique concludit: *Plura de ſanctâ Syriâ in antiquis monumentis non inveniuntur. Sanctus Savinianus (ut Camuzatus in notis ad præcitatam ejuſdem Martyris hiſtoriam obſervat) capite truncatus eſt prope Sequanam, in oppidulo quatuor leucis ab urbe Tricaſſinâ remoto, quod olim dicebatur Rilliacum, deinde à ſancto Saviniano nomen accepit, nunc autem ſanctæ Syriæ vocabulo nuncupatur. Ibi ſancta Syria ſepulta fuit in ædiculâ quam ipſa conſtruxerat, ubi hodieque cuſtodiuntur ejus reliquiæ, æreâ capsâ affabrè factâ concluſæ: ad quas frequentiſſimus habetur peregrinorum concurſus, præſertim eorum qui calculo laborant: & in illis curandis egregia quotidie miracula divinitùs eduntur. Fuit igitur ſancta Syria mulier Tricaſſina, quæ nec Meldas unquam, nec Catalaunum adiit: diſtinguique debet à beatâ Syrâ ſancti Fiacrii ſorore, quæ monaſticam vitam in Cœnobio Brigenſi Meldenſis diœceſeos duxit, &*

Monaſterium puellarum prope Catalaunum poſteà conſtruxit, gubernavítque. In ſuburbano Catalaunenſi, ad illum locum ubi Parochus ſancti Sulpitii ſuas ædes habet, haud pridem viſebantur adhuc rudera veteris clauſtri, cui nomen erat ſanctæ Syriæ, ut ex quorumdam ſeniorum relatione ſcribit Deſguerroiſius loco ſuprà citato.

Vult igitur Cointius diſtingui Syram à Syriâ. Syram aſſerit ſancti Fiacrii ſororem, Virginem, ac primùm Monialem in pago Brigenſi ſub ſanctæ Faræ diſciplinâ, tum deinde in Catalaunenſi Parthenone, piarum Virginum Præfectam, ſeptimo poſt Chriſtum ſæculo ſanctitate & miraculis celebrem. Syriam porrò fuiſſe ait matronam, hoc eſt, aut viduam, aut conjugatam, patriâ Tricaſſinam, quæ poſt quadraginta aut plurium annorum cæcitatem, ad ſancti Saviniani Martyris reliquias deducta, ejus apud Deum interventu viſum receperit; incertum

quo tèmpore, quóve poſt Chriſtum ſæculo : illam deinde iis præſertim qui ex calculo laborent, miris modis opitulari ſolitam. Addit & argumentum à diebus feſtis : nam Syriam Rilliacenſem coli dicit à Trecenſibus & à Catalaunenſibus ſexto Idus junii; Syram porrò à Meldenſibus decimo Kalendas Octobris.

Syriæ genus regium, & patriam Scotiam Cointius ſilentio prætermittit. Illam Hiberni æquè ut Scotobritanni ſibi vendicant : Hiberni ex principio poſito, quòd omnes penè Sancti, & quoquo modo illuſtres, qui ſupra quingentos abhinc annos Scoti leguntur, ad majorem Scotiam ſive Hiberniam pertinere putandi ſint. At hoc principium haud ita firmum videtur, quin multis in exemplis vacillet. Hector Boëthius, & Joannes Leſlæus Roſſenſis Epiſcopus, probi certè & diſerti ſcriptores, Fiacrio & Syriæ patriam aſſerunt Scotiam minorem

ſive Albionenſem, quæ eſt inſulæ Britanniæ pars borealis: patrem utrique fuiſſe aiunt Eugenium Regem ejus nominis quartum; fratres Ferquhardum & Donevaldum; educatorem Connanum Sodorenſem Epiſcopum, magnæ ſanctitatis virum: utriuſque migrationem in Gallias ex ſuæ gentis monumentis affirmant. Nihil proferunt Hiberni quod harum teſtificationum fidem elevet.

Jam quid habet Cointius, quo contra Gallorum antiquam traditionem Syrâm à Syriâ diſcernat? quæ Gallorum vulgo *Sainte Syre*, Latinis uſu communi nunc Syra, nunc Syria vocitata eſt. Omnes conſule qui de illâ, Scotos, Hibernos, Gallos, antiquos, recentiores, cuſos, manuſcriptos, quotquot unicam novêre; ab his illam promiſcuè nunc Syram, nunc Syriam appellatam reperies.

Cointius eamdem facit Syram Brigenſem & Catalaunenſem: ab hac Ril-

liacenſem diſtinguit, quam Syriam nuncupat. Brigenſem porrò aſſerit *multis in vitâ póſtque mortem claruiſſe miraculis*. Proferat vel unum certo affirmatum teſtimonio quod ad Syriam Rilliacenſem non pertineat: Doceat nos ubinam Brigenſium vel Catalaunenſium exſtent ſanctæ Syræ reliquiæ, extra Rilliacenſem ejus lipſanothecam omnibus notam. Dicat cur poſt omnem memoriam, æquè à Rilliacenſibus, ſeu Trecenſibus, & à Catalaunenſibus Syra ſeu Syria colatur ad diem Junii octavam, ſi non eadem utrorumque patrona eſt.

Urget tamen Cointius, *mulierem* nuncupari in Actis ſancti Saviniani Syriam Rilliacenſem, cùm Syra Brigenſis ſeu Catalaunenſis, ſancti Fiacrii ſoror, fuerit virgo. Cur ergo Chriſtus ſcientiarum Dominus matrem Virginem compellans, ait: *Mulier, ecce filius tuus?* Scribit Caius, mulieris nomine etiam virginem viri potentem conti-

neri. Plautus non uno loco mulierem dixit de virgine; ſed de adultâ: puellam enim infantem, aut adoleſcentulam & viro nondum maturam nemo mulierem dixerit. Eſt ergo mulier & ſexûs nomen & ætatis. Sed inſtat Cointius: *Vox (matrona) quâ Uſuardus utitur, non parum torquet* unius Syræ ſeu Syriæ aſſertores. Nuſquam ſic locutus eſt Uſuardus; ſed Molanus in Additionibus ad Uſuardum VI. Idus Junii, & ante Molanum quinquaginta ferè annis Cartuſiani Colonienſes *Syriæ matronæ* meminêre. Quid tum? *Matrona dicitur* (inquit Gellius lib. 8. cap. 6.) *quæ in matrimonium cum viro convenit, etiamſi liberi adhuc non ſint ſuſcepti.* His addiderim ego aut generis aut dignitatis prærogativam: quis enim matronam appellet, plebeiam & de fæce populi mulierculam? Meretrici opponitur matrona apud Plautum non uno loco. Hæc vis vocis hujus priſco Latio, eóque gentili. At Chriſtianis ſæ-

culis, quis neſcit, domnam ſeu matronam vulgò cenſeri Virginem Deo dicatam? præſertim ſi nobilis, ſi provectæ ætatis, ſi aliis præpoſita.

Notum eſt omnibus Moniales in Gallia vulgò Domnas ſeu Dominas nuncupari; præſertim in Ordinibus Benedictino & Ciſtercienſi. Exempla ſunto non unius aut plurium, ſed omnium quæ illæ inhabitant Monaſteriorum; unde dicuntur Divione, Dolæ, Remis, *les Dames du Tard, d'Onnens, de S. Pierre, de S. Eſtienne*, &c. Immò ex illis nonnullæ abſque adjuncto *Aux Dames, le Pré aux Dames*, &c. Cùm autem de Monialibus agitur, promiſcuè Domnæ ſeu Dominæ, & matronæ vocabula uſurpantur. Sozomenus lib. 7. Hiſt. Eccleſ. cap. 21. *Cúmque Baptiſtæ reliquias inde auferre vellet, ſola, ut aiunt, ei reſtitit Matrona, quæ ſacrata quidem Virgo erat*, &c. Capite eodem ter prætereà meminit ejuſdem matronæ, quam ad extremum *ſacrarum Virginum Magiſtram*

fuiſſe dicit. In Græco textu *ματρώνα* leges, voce Latinæ originis ævo illo in Græcorum uſus receptâ. Quid ergo mirum ſi à Molano, aliiſque Uſuardi Gloſſatoribus matrona nuncupata eſt ſancta Syria, quam & Monialem & genere clariſſimam, & grandem ætate, & ſacræ ſuæ familiæ Præfectam fuiſſe, Gallis æquè, apud quos vitam exegit, & Scotis ex quibus prodiit, indubitatum eſt.

Stemus igitur in majorum noſtrorum traditione, & omiſſis recentiorum iſtis argutiis, unicam agnoſcamus Syram ſeu Syriam, regio Scotobritannorum genere ortam, ſancti Fiacrii ſororem, Virginem, in ſanctæ Pharæ Scholâ Monialem, Catalauni Monialibus præfectam, ad Martyris Saviniani reliquias cæcitate abſolutam, Rilliaci olim lapideo ſepulcro, nunc operoſo mauſolæo conditam, miraculis latè celebrem.

Sed labor eſt in hac rerum geſta-

rum diſponendâ ſerie. Dubitare vix cuiquam licet, quin ſanctæ Syriæ, quam & regium genus, & vitæ ſanctitudo, & plurima edita miracula commendarent, res geſtæ jam olim conſcriptæ in majorum noſtrorum manibus fuerint: ſed quæ Sarracenorum, Nortmannorum, atque Hungarorum barbaræ irruptiones, Galliarum pleriſque Eccleſiis, ſacriſque eorum monumentis vaſtitatem attulere, eiſdem & ſanctæ Syriæ Vitam conſcriptam periiſſe par eſt exiſtimare. Crebreſcentibus interim ejus miraculis ſtudium etiam repullulavit, genus noſſe & res præclarè geſtas Patronæ ſuæ ac Liberatricis. Tunc verò emerſit fabula de genitore ejus Davide Scotorum Rege, cui Margarita conjux cùm Fiacrium quoque genuiſſet, Edmundo poſtmodùm ſecundis nuptiis ſibi conjuncto, quinque alios liberos, Levicum, Florentium, Furſeum, Manſuetum, & Triduanam ex eo ſuſcepit. Hæc in ryth-

micis verſiculis Gallico ſermone concinnatis typis mandata adhuc ſuperſunt : ſed & ducentis ferè abhinc annis in Breviarium Autiſiodorenſe inculcata fuerant, referuntúrque à Benedicto Gonono in Vitis Patrum Occidentis : ac (niſi me conjectura fallit) illa ipſa ſunt quæ novem digeſta Lectionibus in Eccleſiâ Trecenſi recitari ſolita erant feſtivo ſanctæ Syriæ die, ex inſtitutione Henrici de Noâ, Decani Cathedralis Eccleſiæ S. Petri Trecenſis, ut legere eſt in ejus Epitaphio anno Domini milleſimo trecenteſimo, feriâ ſextâ poſt feſtum ſancti Barnabæ vitâ functi.

Verùm cùm ad annum à Chriſto milleſimum David eo nomine primus Scotorum Rex, ex rerum Scoticarum Scriptoribus pertinere intelligeretur, & Fiacrium Syriæ fratrem quadringentis ferè antè annis, per Faronis Meldenſis Epiſcopi tempora floruiſſe conſtaret, compertum eſt Boëthii maximè,

& Leſlæi teſtimonio, Fiacrio & Syriæ patrem fuiſſe Eugenium inter Scotorum Reges ejus nominis quartum. Hoc igitur ſupra centùm abhinc annis, in æde ſanctæ Syriæ ſacrâ, vitreo feneſtræ clauſtro & impreſſum coloribus & litteris inſcriptum eſt, & in ejus Vitâ recenſitum: necdum tamen de totâ ejus hiſtoriâ inter omnes convenit. Etenim Deſguerroiſius qui unicam agnoſcit Syriam & ſancti Fiacrii ſororem & virginem, tamen illam negat Monialem fuiſſe in Eboriacenſi ſeu Brigenſi Monaſterio ſub Farâ Abbatiſsâ: negat & Catalaunenſibus Monialibus præfuiſſe verè ac propriè Abbatiſſam, ſed tantùm affectu Matrem atque hortatricem ad omne virtutis genus. Cæcitatem verò multis precibus à Deo impetraſſe dicit, adhuc in patriâ ſuâ, ut procos à ſe averteret, à quibus ad nuptias importuniùs poſcebatur. Id porrò ſuſpectum nobis eſt, cùm à Scotis Scriptoribus nec potuiſſe

ignorari, (utpote apud ipſos geſtum) nec prætermitti debuiſſe videatur.

Longè prudentiùs ac veriſimiliùs Gabriel Bucelinus in Menologio Benedictino, quo ad ſanctæ Syriæ hiſtoriam Scotis æquè & Gallis fidem ſuam ſartam tectam eſſe voluit. ſic enim ille ad ſextum Idus Junias: *In territorio Trecenſi, ſanctæ Syriæ Virginis, ſororis ſancti Fiacrii. Syria Eugenii IV. Scotiæ Regis filia, contemptis mundi illecebris & faſtu regio, cucullum purpuræ præferens, perfectioris vitæ abſolutiſſimam magiſtram ſanctam Burgundophoram Abbatiſſam habuit. Oculorum autem vitio cùm laboraret, & apud Rilliacum pagum cœmeterium ingreſſa, in preces attentiùs incumberet, ſancti Saviniani Martyris diu latens ſepulcrum divinâ revelatione cognovit, atque oculorum uſum recipere meruit. Conditâ autem ſuper tumulo Martyris cellulâ, vitæ deinceps reliquum inibi tranſigens, vigiliarum, jejuniorum, orationúmque conti-*

continuatione, ſolo ferè ſpiritu vixit. Claruit plurimis à morte prodigiis, inſigni peregrinorum concurſu celebrata; eorum maximè qui acutiſſimis calculi doloribus exagitantur.

Rectè hæc quidem Bucelinus de cæcitate, quæ Syriæ non in patrio ſolo, ſed in Galliis obvenerit: quia tamen de Catalaunenſi ejus domicilio nullam mentionem fecit, exiſtimare viſus eſt cæcam illam factam in ipſo Eboriacenſi ſanctæ Faræ Monaſterio; indéque divino impulſu in Rilliacum pagum deductam & de Saviniani Martyris loco ſepulturæ divinitùs fuiſſe admonitam, & ejus productis reliquiis viſum recepiſſe. At quomodò non potiùs credatur, migraſſe Syriam è Meldenſi territorio Catalaunum, ubi integris adhuc ſenſibus novæ familiæ præeſſet? ibíque oculorum amiſſo uſu annos aliquot perſtitiſſe, donec Rilliacum exinde concederet, & Saviniano gloriam, & ſibi lumen adlatura?

Servatâ igitur hinc Scotis Scriptoribus, inde Gallicanarum Eccleſiarum traditionibus ſuâ fide, ſic totam ſanctæ Syriæ hiſtoriam in pauca contractam percommodè digeſſeris.

Nata eſt Syria patre Eugenio hujus nominis quarto, Scotiæ minoris in Britanniâ Rege, haud procul initiis ſeptimi poſt Chriſtum ſæculi. Fratres habuit, Ferquhardum, Fiacrium, & Donevaldum; qui omnes cum Syriâ ſorore à pio parente in Connani Sodorenſis Epiſcopi viri ſanctiſſimi diſciplinam traditi haud eoſdem tulere fructus. Etenim Ferqualdus improbiſſimis moribus, ob immania ſcelera à ſuis regno eſt privatus. Fiacrius abdicatâ ſæculi vanitate, clam ſuis in Gallias elapſus, ad Faronem Epiſcopum ſe contulit, à quo donatus agello, ubi nunc etiam colitur, in eo, ſolitarium vitæ genus amplexus eſt: nec ullis ſuorum precibus adduci potuit, ut relictâ ſuâ eremo ad regnum capeſ-

ſendum in patriam rediret. Quare Donevaldo juniori regia dignitas delata eſt à Scotis, qui variâ uſus fortunâ, cùm paucis annis regnaſſet, cæſus in bello eſt.

Fiacrii ſanctitatis ac miraculorum famâ excitâ ejus ſoror Syria, cum ejuſdem propoſiti piarum puellarum cœtu ad eum in Gallias venit : ubi de ejus conſilio, annuente beato Farone Meldenſi Epiſcopo, illæ in hujus ſororis ſanctæ Faræ Monaſterium Eboriacenſe conceſſerunt : cúmque ibi per aliquod tempus vitæ totius regularis inſtitutis excultæ fuiſſent ; emiſſæ ſunt Catalaunos versùs, coloniam apud eos deducturæ cui præpoſita eſt Syria. Exſtabant adhuc patrum memoriâ hujus Parthenonis rudera, quod de ſanctæ Syriæ nomine appellabatur. Sed accidit mirabili Dei providentiâ, oculorum uſu deſtitui Syriam, ut (ſicut de cæco nato in Evangelio legitur) manifeſtarent ur opera Dei in illâ. Poſt-

quàm enim longam cæcitatem ad ſeniles uſque annos ſummâ animi æquitate perpeſſa eſt, divinis cœpit illúſtrationibus clareſcere.

Notum erat omnibus, Savinianum quemdam jam à priſcis ſæculis Rilliacenſem pagi Trecenſis villam egregio nobilitaſſe martyrio; ſed poſt perſecutionum procellas ignotus vulgo erat ejus ſepulturæ locus. Divinitùs illum edocta eſt Syria, promiſſione à Deo acceptâ, ad ſacri ejus monumenti apertionem viſum ſe momento recepturam. Divino oraculo fidem fecit eventus: deducta eſt ad locum, foſſores adhibiti, ad theſaurum altè reconditum perventum eſt: productis Martyris reliquiis Syria viſu potita eſt. Ibi ergo ſedem ſibi delegit, ibi ſub ſancti Saviniani nomine dicatam Deo ædiculam exſtrui curavit, ibi morum ſanctitate ac miraculis inclyta quod vitæ reliquum fuit, exegit. Quare eodem loco ſanctiſſimè moriens, in eâdem

ædiculâ primò ſaxeum tumulum, pòſt etiam mauſolæum habuit. Inde pronis auribus piorum ſupplicum preces excipere ſolita; illorum maximè ſolatio, qui calculi ſæviſſimis doloribus diſcruciantur.

Ad regiam Syriæ originem plurimum lucis affudit Beda ei ſuppar; immò ſpectare illam viſus eſt, cùm ait libro 3. capite 8. Hiſtoriæ gentis Anglorum: *Cujus filia* (nempe Earconbercti Cantuariorum Regis) *Earcongota, ut condigna parenti ſoboles, magnarum fuit virgo virtutum, ſerviens Deo in Monaſterio, quod in regione Francorum constructum eſt ab Abbatiſsâ nobiliſſimâ, vocabulo Farâ, in loco qui dicitur Brige. Nam eo tempore necdum multis in regione Anglorum Monaſteriis conſtructis, multi de Brittaniâ monaſticæ converſationis gratiâ, Francorum vel Galliarum Monaſteria adire ſolebant: ſed & filias ſuas eiſdem erudiendas, ac ſponſo cæleſti copulandas mittebant; maximè*

in Brige, & in Cale, & in Andilegum Monaſterio. Neque opponas Georgii Buchanani excucullati apoſtatæ malignum ſilentium, cui non tantùm Fiacrii & Syriæ, & genus & ſanctitudo, immò & aliorum Scotiæ Sanctorum pietas ludibrium fuit; ſed ipſa etiam Auguſtini Anglorum Apoſtoli de Paſchatis ritu adversùs Quartadecimanos religioſa contentio, quam homo impudentiſſimus velut inutilem & falſis adumbratam miraculis ſacrilego ſuo ſtylo perſtringere auſus eſt. Sanctior eſt nobis Leſlæi Roſſenſis Epiſcopi fides: potior Hectoris Boëthii auctoritas, qui ut Scotorum Hiſtoriam conderet, Regis ac regiorum miniſtrorum poteſtate uſus, omnia excuſſit rerum Scoticarum monumenta, & quidquid in totius Scotorum regni bibliothecis bellici tumultus reliquum fecerant, ſuámque exinde hiſtoriam contexuit, ut profitetur ipſe in ſui operis præfatione ad Jacobum quintum ejus

nominis Scotiæ Regem.

Andilegum, in notis ad hunc locum Bedæ, oſtendi ex Bruſchio, & ex aliis, Monaſterium eſſe Alſatiæ ſuperioris, haud procul ſanctâ Othiliâ, quod Richardis Imperatrix à Carolo Craſſo ſeparata ædificiis opibúſque auxit; cùm ducentis ampliùs antè annis à ſancta Salabergâ fuiſſet fundatum de S. Walberti Luxovienſis Abbatis conſilio, quadraginta ferè à Luxovio milliariis.

In ſanctæ Syriæ adnotandis miraculis, Trecenſium ac Rilliacenſium & diligentiam requiro & delectum. Multa negliguntur, quæ ſi ab idoneis excepta teſtibus, & ſcriptis mandata eſſent, plurimùm Dei & Sanctorum augerent gloriam, & piis mentibus plurimùm conferrent utilitatis. Multa vulgi ore circumferuntur, & infuſcantur fabellis, quæ apud prudentes fidem non faciunt. Admonet Deſguerroiſius lectores ſuos, minimè auſum

ſe eſſe de nomine appellare, famoſum & è primâ nobilitate Calvinianæ hæreſeos ſectatorem, qui invocatâ olim ſanctâ Syriâ, immanibus à calculo tormentis exemptus eſt. Immò propter hanc ipſam cauſam (ſi res ita ſe haberet) debuiſſet ille omnibus innoteſcere, ut intelligeretur prolem eſſe Syriam illius patris qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos. Sed rem incredibilem narravit Deſguerroiſius, & æquivoco deluſus eſt. Nam Gaſpar Coliniacus à beatâ Syriâ perſanatus, benè Catholicus fuit, & cognominis atque in tertio gradu conſanguineus illius qui Admirallius, hoc eſt, regiæ Claſſis Præfectus, catholicâ religione abjuratâ fœdiſſimam nomini ac familiæ ſuæ notam inuſſit. Utriuſque conſanguinitatem agnoſce ex hoc ſchemate.

Guillelmus Colignæus Jacobi filius condit teſtamentum anno 1457.

1. *Joannes.*	1. *Antonius.*
2. *Gaſpar Mareſcallus Franciæ.*	2. *Philibertus.*
3. *Gaſpar Admirallius, Odeti frater, quem ille pravis ſuis vel conſiliis, vel exemplis, ingenti orbis totius ſcandalo, à Purpuratorum Patrum ſacro Collegio ad Novatorum lupanaria traduxit.*	3. *Gaſpar à ſanctâ Syriâ mirabiliter ſanatus.* 4. *Philibertus II.* 5. *Cleriadus.* 6. *Joachimus Marchio inſigniter pius, mortuus à non multis annis abſque prole maſculâ.*

Hanc ſeriem familiæ Coliniacenſis juſto volumine explicuit vir clariſſimus Dominus du Bouchet : qui & ſequens monumentum Gaſparis de Coliniaco, ſanctæ Syriæ ope à calculis liberati, ex ſchedis autographis Nicolai Camuſat antiquæ probitatis viri ad me tranſmiſit.

Ceci eſt écrit ſur un Tableau ſuſpendu en la Chapelle de Sainte Syre, Dioceſe de Troyes, maintenant fort uſé, & qui étoit fort liſible en l'année 1604.

Gaſpar de Coligny, Seigneur & Baron de Bovain & de Beaufort, Eſcuyer trenchant de Meßieurs le Dauphin & le Duc d'Orleans, natif de la Franche Comté de Bourgongne, a eſté ce jourd'huy XIIII. jour d'Avril M. DXXXIX. délivré de ſept pierres, leſquelles il a fait par la bouche: & ſoy voyant en peril de mort, ſoy voüant à Madame ſainte Syre, fut délivré deſdites pierres, & eſt en bonne ſanté. Dont ledit Seigneur veut & entend eſtre penſionnaire de l'Egliſe Madame ſainte Syre.

Quæ in externorum gratiam ſic Latinè reddo.

Hoc ſcriptum eſt in tabulâ appensâ in Sacello Sanctæ Syriæ, Diœceſis Trecenſis, nunc vetuſtate conſumptâ, quæ adhuc legi poterat anno 1604.

Gaſpar de Coliniaco, Dominus & Baro de Bovain & de Beaufort, Sector Menſarius Dominorum Delphini & Ducis Aurelianenſis, libero Burgundiæ Comitatu oriundus, hodie XIIII. Aprilis, M. DXXXIX. ſeptem calculis, quos ore evomuit, liberatus eſt: qui ſe de vitâ periclitari ſentiens, cùm ſe Dominæ ſanctæ Syræ devoviſſet, prædictis calculis

ejectis nunc proſperâ utitur valetudine. Unde ſe idem Dominus profitetur Eccleſiæ Dominæ ſanctæ Syræ vectigalem.

Erant hi duo regii juvenes Franciſci I. Francorum Regis filii, quorum Gaſpar de Coliniaco erat anno 1539. Sector menſarius, HENRICUS Delphinus, qui natus anno 1518. annum tum agebat ætatis XXI. & frater ejus CAROLUS Dux Aurelianenſis, qui poſtmodùm vitâ ceſſit ante patrem anno 1545. Nec verò incredibile videatur, renum calculos à Gaſpare fuiſſe ore dejectos, non modò quia divinæ virtuti nihil eſt impoſſibile; ſed etiam quia paſſim videmus, obſtructis ureteribus, urinam in renibus excoctam vomitu ejici: unde conſtat, ſicut urinæ, ſic & calculis pervium eſſe tranſitum à renibus ad ſto-

machum, & inde ad guttur, ſi quando omnipotenti Deo naturalem ejectionum ordinem immutare placuerit.

Supereſt ut de ſanctæ Syriæ imagine paucis admoneam. Non placent qui haud multis abhinc annis illam repræſentarunt in veſte ornatâ & variegatâ, qualis ſolet eſſe nobilium laïcarum; cùm eam ſuperioris ætatis & Scoti & Galli Sanctimonialem fuiſſe uno conſenſu affirment. Illam hic expreſſimus ſolidæ molis ejus effigiem, piam ſanè & religioſam, quæ ad juſtam penè ſtaturam proſtat Divione in baſilicâ Carmelitanorum; in quâ jampridèm inſtituta eſt Sodalitas urbanorum ſub ſanctæ Syriæ nomine, haud exiguo populi Divionenſis ſolatio ac fructu. Veſtis illi oblonga, caput velatum, linteo orario modeſtè obducti ſinus: apertum librum dextrâ ſuſtentat, in quem intentos habet oculos: veſtis interna ſparſa liliis, opi-

nor, ad regium ejus genus deſignandum : ſiniſtrâ & palmam geſtat virginitatis ſymbolum ; & baculum, vel fulcrum ſenilis ætatis, vel peregrinæ ſuſtentaculum, ſive à Scotiâ in Galliam, ſive Catalauno Rilliacum ad Saviniani Martyris gloriam promulgandam progredientis. Habe hîc religioſæ hujus ſtatuæ qualecunque exemplar.





ORIGO
COMITUM
VALENTINORUM,

Qui

EX PICTAVENSIBUS propagati, in clariſſimam Burgundiæ Biſontinæ Baronum Pictavenſium familiam effloruêre.

OPUSCULUM III.

ILLUSTRISSIMO VIRO D. D.

JACOBO NICOLAO

COLBERT,

ABBATI BECCENSI,

PRIORI ET DOMINO CHARITATIS,

ET AMBERTÆ,

SACRÆ FACULTATIS DOCTORI,

& Socio Sorbonico,

PETRUS FRANCISCUS CHIFFLETIUS
Salutem.

REGIÆ *ſtirpis, cjuſque affinitatum & conſanguinitatum ſplendori ſtudere, magno tuo parenti proprium, tibi hereditarium eſt*, ABBA ILLUS-

TRISSIME. *Hinc ſpes animo meo inſedit, vobis haud ingratum fore, ſi Regum noſtrorum arboris gentilitiæ ramum ſpectabilem, prioribus haud ſatìs compertum, vobis exhiberem. Ex Aquitaniæ Regibus, adeóque ex Carolo Magno Comites antiquos Pictavenſes propagatos eſſe conſtat: ex Comitibus Pictavenſibus Comites Valentinos quinque amplius abhinc ſæculis: denique ex Comitibus Valentinis Barones Pictavenſes, quorum familia nunc in Sequanis, ſive in Burgundiæ, quem vocant, Comitatu ſedes habet. Priſco ævo Valentia Cavarum Regnum Germaniæ, adeóque Imperium ſpectabat: ab annis circiter quadringentis ad fontem ſuum, hoc eſt, ad Regum Francorum ditionem, unde prodierat, reverſa eſt. Nuper*

Burgundia Beſontina quæ octingentis propè annis Imperatorum juris fuerat, magno vel ſuo, vel regni Francorum commodo, Ludovico Magno Regi ceſſit. Nunc igitur exultabunt Barones Pictavenſes Burgundo-Sequani, quibus olim, quamvis à Ludovico XIII. Chriſtianiſſimo Rege perhumaniter haberentur, tamen regnicolas (ut loquuntur) non eſſe, detrimento fuit: & regnicolæ nunc effecti, in Valentinorum Pictavenſium Comitum, deceſſorum ſuorum hereditaria prædia poſtliminio recipi, pronum erit ut poſtulent. Qui causâ vicerit, beneficium hoc erit pacis, orbi Chriſtiano univerſo, Magni noſtri Ludovici Regis fortitudine & ſapientiâ, terrâ marique partæ.

Addo & munuſculum aliud, Ex-

cerpta ſingularia de vitâ & rebus geſtis S. Bernardi Abbatis Claravallenſis, auctore Gaufrido quondam illi ab Epiſtolis, ac deinde Igniaci, Claræ-vallis, Foſſæ-novæ, & Altæ-cumbæ Monaſteriorum Abbate. In his leges cum voluptate Adelhaidem Lotharii Saxonis Imperatoris ſororem, Simonis Lotharingiæ Ducis conjugem, & ſequentium Ducum parentem, quæ ſe beati Bernardi Magdalenam profitebatur, quippe ex quâ ille ſeptem dæmonia ejeciſſet: Guidonis ejus fratris primogeniti quondam uxorem, illuſtrem Matronam, ac tum cùm Gaufridus ſcribebat, in Monaſterio Lareyo prope Divionem, mulierem virtutis, & multarum in Chriſto Virginum Matrem. *Reperies etiam Guidonem eundem Pontiniaci*

mortuum , & ipſa nocte quâ Sanctorum omnium feſtivitas agebatur, felici eorum conſortio aggregatum; *non autem undecimo Maii, ut notatur à Chryſoſtomo Henriquez in Menologio Ciſtercienſi. Quæ, & alia non pauca, cùm attentè perlegeris, intelliges benè illis convenire verba Chriſti Salvatoris ſecundùm evangelicam cœnam prolata, cùm in ea quinque hominum millia ex quinque panibus & duobus piſcibus ad ſatietatem refeciſſet:* Colligite quæ ſuperaverunt fragmenta, ne pereant. *Ioan. 6. 12.*

ORIGO COMITUM VALENTINORUM,

Qui

EX PICTAVENSIBUS propagati, in clariſſimam Burgundiæ Biſontinæ Baronum Pictavenſium familiam effloruêre.

OPUSCULUM III.

VALENTIAM Segalaunorum pro comperto habetur, jam ex decimo poſt Chriſtum ſæculo proprios habuiſſe Comites, hac ſerie.

1. *Contardus* ex anno 930. cujus uxor *Ermengardis*. Horum filius

2. *Lambertus*, cui conjux *Falectrudis*; filii *Aymarus* ſive *Ademarus*, & *Lambertus*. Is anno 985. Monaſterio S. Marcelli nonnulla ſui Comitatus prædia elargitus eſt, pro animabus patris ſui Gontardi, & matris Ermengardis, annuentibus Falectrude uxore, cum Aymaro & Lamberto filiis: quæ dona Conradus Rex rata habuit anno regni ſui XLVI. qui fuit Chriſti 986.

3. *Aymarus* hujus nominis primus, anno 1037. dedit Cluniacenſibus locum nomine *Saulçay* in Epiſcopatu & Comitatu Valentino, ſub honore ſancti Marcelli dedicatum, Rotilde conjuge, & utriuſque liberis conſentientibus, pro animâ Lamberti Comitis.

4. *Hugo* Aymari filius, adhuc vivebat anno 1050. frater Pontii Valentinenſis Epiſcopi, cujus mentio ad annos 1037. & 1044. in conſecratione Eccleſiæ S. Pauli Biſonticenſis.

5. *Guillelmus* 1073. & 1083. cujus frater Gontardus patruo Pontio ſucceſſit in Epiſcopatum Valentinum.
6. *Aymarus*, ſive *Ademarus* II. 1110. 1120.
7. *Guillelmus* II. dictus *Pictavienſis*, 1158. Abbatiam Liuncelli in ſuam tutelam recipit, 1180. Uxor illi *Marchiſia* nomine, de quâ pluribus Vita Margaritæ matris ejus, filiæ *Stephani* Burgundiæ Comitis, ſororis autem *Raynaldi*, cujus filiam Beatricem Fridericus I. Imperator uxorem habuit. Ab hoc Guillelmo *Aymarus* III. *Guillelmus* III. & ſequentes Valentini Comites, *Pictavenſes*, appellati ſunt: ex quibus ortu legitimo propagata eſt illuſtris familia Baronum de Pictaviâ, Dominorum de Firmitate in Burgundiæ Comitatu, de Vadans, de Souvans, &c. Et quidem de coloniâ deductâ Valentinenſium Dynaſtarum è Segalaunis in Sequanos ma-

gnus eſt Genealogorum conſenſus: ſed in quo, & quâ ratione Valentinus Comitatus, ad familiam Pictavienſem tranſierit, nondum ſatìs perſpicuè (quod ſciam) à quoquam demonſtratum eſt.

Qui de Comitibus Pictavenſibus, ac de Aquitaniæ Ducibus accuratè ſcripſit Joannes *Beſly*, viſus eſt Joſcelinum quemdam ſpectare, qui ſexcentis ferè abhinc annis, magni Antonii ſacrum corpus primus in Gallias, & in Viennenſem Comitatum invexit. Hunc dicit fuiſſe Pictavenſem, & parentem Valentinorum Comitum qui ex Pictavenſibus prodiere: filium verò Guillelmi, cognomento *Caput-ſtupæ*. Aſſertorem verò ſuæ ſententiæ profert Aymarum Falconem, æqualem ipſi Joſcelino, adeóque teſtem omni exceptione majorem. Quæ ego vehementer miratus ſum viro alioquin erudito excidiſſe. Ille etenim Aymarus Falco Hiſtoriam ſuam Antonianam ad an-

num uſque 1530. perduxit, quam & Antonio Langiaco, qui tum vivebat, Antonianorum Ordinis Præpoſito Generali dedicavit. Quomodò ergo Joſcelino æqualis fuiſſe dicitur? Deinde Falco ille, quicunque eſt, de Joſcelino refert planè contraria. Non enim familiâ aut patriâ Pictavenſem facit, ſed Viennenſis agri nobilem indigenam, patre natum Guillelmo Cornuto, Motæ ſancti Deſiderii (in quam S. Antonii à Joſcelino corpus illatum eſt) & Caſtri Albenciani Dominum. Joſcelinum porrò obiiſſe improlem, & quemdam Guigonem, cognomento Deſiderii, propinquitatis jure heredem reliquiſſe, ut oppidò mirum ſit, alia omnia Falconi attribui.

Circumfertur in quibuſdam commentariis, ante centum ferè & viginti annos manu exaratis, fabula, de Hermentrudio quodam fratre Alienordis Reginæ, ab ipſo ortu membris capto, qui poſteà viribus receptis, cùm à Re-

ge Ludovico juniore, Alienordis marito, ſuum Aquitaniæ Ducatum cum Pictavenſi Comitatu repeteret, repulſam paſſus, & in Viennenſem agrum profugus, Comitiſſæ Valentinenſi adversùs rebelles ſubditos operam ſuam in bello navaſſet, ab eâ filiam in uxorem cum dote Valentini Comitatûs acceperit. Ab hoc ortam Comitum Valentinorum Pictavenſem poſteritatem. Hanc, ut dixi, fabulam meritò explodunt Beſlius, Ducheſnius, & recentiores omnes, velut improbabilem, & nullo antiquitatis teſtimonio fultam, ſed & Alienordi Reginæ, & Regi Ludovico VII. injurioſam.

Propiùs ad verum acceſſit Chriſtophorus Juſtellus in Hiſtoriâ Domûs Arvernæ, libro 2. cap. XI. felici conjecturâ delatus in Guillelmum de Pictaviâ Valentinenſem & Dienſem Comitem, Marchiſiæ Guigone Albonenſi Comite & Margaritâ Burgundâ parentibus natæ maritum, quem memo-

rari ait ad annum 1178. per tempora Friderici Barbaroſſæ Imperatoris, poſt Joannem Columbi in Epiſcopis Valentinenſibus. Sed vacillat in ejus origine, dubitanter eam referens ad Joſcelinum, & Beſlii de Aymari Falconis ævo hallucinationem non deprehendens. In hoc tamen præferendus Ducheſnio, quòd hic Valentinorum Comitum Pictavenſium primum cenſet Ademarum, qui & Dienſis Comes effectus eſt ex anno 1189. cujus patrem Guillelmum non agnoſcit.

Hunc ego Guillelmum Marchiſiæ maritum affirmo, primum fuiſſe ex Comitibus Valentinis gente & familiâ Pictavum: nam & à filio Ademaro, ſignatè nuncupatur *Willelmus de Pictavis*, eo diplomate quo ejus beneficia in Montiſmairani Eccleſiam collata confirmat: & ab Odone Epiſcopo Valentino in ejuſdem argumenti tabulis, ad annum 1181. nuncupatur *Willelmus Pictavienſis, Comes Valen-*

tinus : nec ante illum Comes quiſquam Valentinus, Pictavienſis eſt appellatus. Opinor autem fuiſſe Willelmum hunc, filium Raymundi Pictavienſis, qui Alienordis Reginæ patruus erat, adeóque ejuſdem Alienordis in ſecundo gradu cognatum, his argumentis, quorum fundamenta paulò altiùs repetenda ſunt.

Robertus de Monte in Appendice ad Sigeberti Chronicon, ad annum Chriſti 1149. *Raymundus*, inquit, *Princeps Antiochiæ, vir cunctis Chriſtiani nominis inimicis terribilis, Calendis Auguſti contra Turcos egreſſus, multis ſuorum captis & occiſis, in inſidiis eorum & ipſe miſerabiliter eſt interfectus. Turci caput ejus circumferentes, omnia ferè caſtra vel civitates quæ ſui juris erant, in deditionem recipiunt, præter Antiochiam.* Willermus Tyrius lib. 17. cap. 9. Raymundum occiſum ait anno 1148. & feſto die Apoſtolorum Petri & Pauli, anno ſui principatûs

tertio.

tertio-decimo. Annum præfero Dionyſianum 1149. velut aliorum omnium calculis congruentiorem. Relicta eſt in reipublicæ adminiſtratione uxor Principis Conſtantia *cum filiis duobus, & filiabus totidem, adhuc impuberibus.* (ait Tyrius cap. 10.) Ex filiabus Philippa ætate provectior, primùm data eſt conjux Andronico Conſtantinopolitani Imperatoris conſanguineo; poſtmodùm Henfreno de Torono, Balduini III. Amalrici, & Balduini IV. Regum Hieroſolymitanorum Conſtabulario ac militiæ Principi, ſecundis nuptiis copulata; à quo deinde repudiata eſt, ut Theodoram neptem ſuam, Regíſque Balduini tertii viduam impudenter nimis & impudicè uxorem duceret : quod utrique infauſtum fuit. *Tyrius lib. 17. cap. 14. lib 21. cap. 13.* Maria porrò junior Manueli CP. Imperatori deſponſata eſt. *Tyrius lib. 18. cap. 31. & lib. 19. cap. 11.* De filiis prior Boamundus

Antiochiæ Princeps fuit eo nomine tertius, ex anno ferè 1160. quo Raynaldus ejus vitricus in bello captus, Halapiámque ad longam cuſtodiam captivus abductus fuerat. Hic enim Raynaldus de Caſtellione, matri ejus Conſtantiæ maritus acceſſerat, ut Antiochenum principatum procuraret. *Tyrius lib. 17. cap. 26. lib. 18. cap. 28. lib. 19. cap. 20.*

Alterum & juniorem Raymundi Principis filium, quem neque Tyrius, neque Scriptorum alius quiſquam (quod ſciam) de nomine appellat, propendeo ut exiſtimem Guillelmum, qui Valentinorum & Dienſium Comitum ex Pictavenſibus Comitibus oriundorum parens fuit, idémque Marchiſiæ Guigone IX. Albonenſi Comite, & Margaritâ Burgundâ genitæ maritus. Conjectura eſt, fateor; ſed vide quàm non levibus fundata argumentis.

1. Cùm certis tabulis probatum ha-

beamus; Guillelmum Marchiſiæ conjugem, fuiſſe ex Pictavenſibus Comitibus, non alius occurrit opportunior, illo Raymundi Antiocheni Principis filio è duobus juniore, qui Alienordi Reginæ fuit in ſecundo gradu conſanguineus, ut apparet ex hoc ſchemate.

Guillelmus IX. Comes Pictavienſis, & Dux Aquitaniæ.

1. Guillelmus X. Dux. — *Raymundus Princeps Antiochiæ per uxorem Conſtantiam Boamundi II. filiam.*

2. Alienordis Francorum & Anglorum Regina. — *Guillelmus ab avo paterno ſic dictus.*

2. Nihil veriſimilius, aut illorum ſæculorum conſuetudini congruentius, quàm ut, ſicut Boamundus III. Raymundi Principis Antiocheni major natu filius, ab avo materno Boamundo II. nomen tulit; ſic & junior ejus filius ab avo paterno Guillelmo VIII. Aquitaniæ Duce appellaretur.

3. Favet quòd Comes ille Valentinus, cui Marchiſia data eſt uxor, à Guillélmo Eccleſiæ Gratianopolitanæ Canonico, ejuſdem ævi Scriptore, in Vita Margaritæ Burgundæ, aſſeritur *claris ortus natalibus*. Quod abundè probatur, ſi & avo natus eſt Aquitaniæ Duce, & patre Principe Antiocheno: ſed & matre Conſtantiâ, quæ Aalydis Balduini II. Jeroſolymorum Regis filiæ filia, Conſtantiæ porrò Regis Francorum Philippi I. filiæ neptis fuit.

4. Mirè congruunt rationes temporum diligentiùs expenſæ. Raymundus Pictavenſis principatum Antiochiæ acceperat anno 1136. quaſi dotem Conſtantiæ conjugis, Boamundi filiæ. Occiſus deinde eſt anno 1149. ſui principatus tertio-decimo Erant illi duæ filiæ, & filii totidem, quorum junior (quem nos Guillelmum dicimus) vix natus eſſe potuerat ante annum 1141. Sic octennis fuerit, quando patre or-

batus eſt anno 1149. Quare anno 1161. erat annorum viginti. Nunc Marchiſiæ ætatem inveſtigemus. Obierat pater ejus Guigo ex vulnere ad Montemmelianum accepto, anno 1140. ut refert Ducheſnius ex Thomaſſini Commentariis de Delphinatu. Si Marchiſia nata ſupponatur anno 1139. certè anno 1161. annorum fuerit duorum ſupra viginti, quæ eſt matrimonio idonea ætas. Nunc videndum reſtat, quâ occaſione Guillelmus ille Pictavenſis, Raimundi Antiocheni Principis filius tranſire in Gallias potuerit, quo actore ſive paranympho, Marchiſia illi conjux obtigerit: quâ ratione Valentinus & Dienſis Comitatus illi obvenerint: & denique quâ ex causâ in ejus familiæ, Guillelmi & Ademari ferè alternata appareant nomina; planè ſicut Hugonis & Odonis in ſerie veterum Burgundiæ Ducum. Ad ſingula reſpondeo.

Tranſitus in Gallias regio adoleſcen-

tulo, & Aquitano patre nato, multiplex potuit offerri. Nihil occurrit veriſimilius, quàm ut à parentibus conceſſus fuerit Reginæ Alienordi ejus patrueli, quam conſtat propenſiſſimam fuiſſe in Raymundum Antiochiæ Principem, patruum ſuum, & ægerrimè tuliſſe, quòd ille à Ludovico Rege paſſus fuiſſet repulſam, unde divortii ejus à Ludovico Rege præcipua origo, ex Tyrio, aliíſque Scriptoribus.

Alienordis ſi cariſſimum ſuum patruelem adoleſcentulum ſecum in Gallias deduxit, illum haud dubiè apud ſe retinuit, nec eum deſeruit, quandò ex formulâ res ſuas ſibi habere juſſa eſt, atque à priore conjuge ſoluta ad Henrici Andegavenſis nuptias convolavit. Hinc ſenſim ad annos nubiles provecto, quæri debuit uxor ætate matura, conditione non impar, & extra Regnum Ludovici recenti divortio exacerbati. Hæc fuit Marchiſia, in Provinciâ Viennenſi nata, quæ tum erat Germanici Imperii.

Juvit etiam conſanguinitas atque affinitas multiplex cum Friderico Ahenobarbo Imperatore, qui & ex anno 1156. Beatricem Burgundam uxorem duxerat, Marchiſiæ in ſecundo gradu cognatam: nam erat illis avus communis, hac ſerie.

Stephanus Comes Burgundiæ.

Margarita Albonenſis.	*Raynaldus Comes.*
Marchiſia.	*Beatrix Imperatrix.*

Et jam priùs Fridericus Imperator Beatricem de Monteferrato, ſuam in quarto gradu conſanguineam, Guigoni Marchiſiæ fratri, militari cingulo à ſe donato, matrimonio junxerat. Unde & Imperatori ſtimulus, ut Guillelmum Pictavenſem Valentino & Dienſi Comitatibus ſuo tunc Imperio obnoxiis inveſtiret. En Beatricis de Monteferrato cum Friderico Imperatore conſanguinitas.

Agnes Aquitana, Agnetis Burgundæ filia, uxor ex anno 1043. Henrici Burgundiæ & Germaniæ Regis, poſteáque Imperatoris.

Henricus IV. Imper. Burgundiæ & Germaniæ Rex.

Agnes deſponſata Friderico I. Sueviæ Duci.

Fridericus II. Dux Sueviæ, qui obiit 1139.

Judith Sueva, uxor Guilelmi Marchionis Montisferrati.

Fridericus Barbaroſſa Imperator.

Beatrix de Monteferrato Guigonis X. Albonenſis uxor.

De Guillelmis ac de Ademaris non eſt ſollicitiùs requirendum, cùm illi Guillelmum Pictavinum Marchiſiæ conjugem præceſſerint, ſitque utrumque nomen pluribus illuſtribus familiis commune. Subjicimus probationum inſtar, Vitam Margaretæ Burgundæ, Comitiſſæ Albonenſis, à Guillelmo Gratianopolitanæ Eccleſiæ Canonico ejus æquali conſcriptam: & duas tabulas, quarum altera Willelmum, primum ex Pictavis Valentinum Comitem, altera filium ejus Ademarum re-

præſentat. In ſigillo Ademari, eques cataphractus, in ſcuto, ſub vertice faſciolis in longum diſſecto præfert byzantios ſex, ternos uno ductu in ſummo, binos in medio, unum in cuſpide. In parte averſa ſtellam radiorum ſedecim, quod eſt ſtemma gentilitium Sibyllæ ejus conjugis, è Bauciorum illuſtrì familia, quæ à Balthazare, è tribus Magis ſeu Regibus Chriſti adoratoribus uno, ſuam originem repetere dicitur.

Si conjecturam noſtram non probas, profer aliquid certius aut veriſimilius. Si negas Guillelmi nomen fuiſſe filio, qui Raymundo Antiocheno Principi ſecundo loco natus eſt, doce nos quo alio nomine appellatus ſit. Si eumdem Marchiſiæ Albonenſi maritum fuiſſe negas, indica nobis quis alius Guillelmus de Pictavis illi maritus obtigerit: & ego non pedibus tantùm ibo in tuam ſententiam, ſed velis remiſque, ut aiunt, in eam convolabo.

VITA MARGARETÆ COMITISSÆ ALBONENSIS,

ante quingentos abhinc annos pietate florentis.

Auctore Guillelmo Gratianopolitanæ Eccleſiæ Canonico.

Hanc è ſcriniis Cameræ Rationum Gratianopolitanæ erutam edi curavit Gratianopoli, typis Claudii Bureau, Dionyſius Salvagnius Boeſſius, ejuſdem Cameræ Præſes primarius anno 1643.

VENERABILIBUS & amplectendis in Chriſto Sanctimonialibus, apud *Ayas* Deo devotè famulantibus, GUILLELMUS Canonicorum Eccleſiæ Gratianopolitanæ inutillimus, Pro virginitate purpuream, pro caſtitate niveam à Virginum Sponſo promereri coronam.

NON immeritò effrons & pudoris

ignarus potero judicari, necnon temerariæ præſumptionis atque præſumptuoſæ temeritatis argui, qui neque invitatus, neque voce aut nutu aliquo provocatus, me ignotis auribus medium præcipitanter ingerere me non pertimeſco. Popularis etiam auræ amator fortaſſis videbor, & ſub hac occaſione ſcribendi, magis veſtram & auditorum amicitiam laudémque acquirere, quàm vobis aliquid commodi vel eruditionis afferre, in quo cujuſcunque judicii aut obtrectationis oriatur diſceptatio, nec ſatìs curandum æſtimo, dum tamen ampliùs appetam vobis prodeſſe, quàm laudari; plus ad aliquod morum ornamentum vos incitare, quàm favorabili aurâ more arundinis agitari. Cùm ergo præteritarum rerum exhibitio, inſtantium & ſubſequentium ſit certitudo, & nihil humano pectori ſic inhæreat, quod temporis proceſſu non evaneſcat, vel morte univerſa rapiente morientium, & eorum quæ ſciebant,

memoria pariter pereat : quam cautelam, quam certitudinem nobis poterunt exhibere præterita, niſi vitâ fruentium atque ſuccedentium memoriæ ſcribendo mandari curentur ? Quia igitur licet undecumque proficere ac doceri, & ex his quæ oculatâ fide agnoſcuntur, exempla poſſunt percipi certiora, de vitâ & exitu laudabilis matris veſtræ Dominæ Comitiſſæ, quæ Chriſto vos deſponſavit, vobis ad quas potiſſimùm iſtud ſpectat, aliqua ſcribere dignum duxi: quæ licèt legi viri fuerit alligata, de ipsâ tamen referuntur quamplurima, quæ virginibus & univerſis ad ſummum pudicitiæ culmen aſcendere affectantibus imitatione probantur digniſſima.

Hæc ſiquidem ſpectabili proſapiâ edita, utpote illuſtris & famoſiſſimi viri STEPHANI Burgundiæ Comitis filia, ſoror etiam excellentium virorum RAINALDI, & GUILLELMI Comitum, neptiſque piæ re-

cordationis Papæ CALIXTI, ad conjugalem egregii Comitis GUIGONIS DALPHINI copulam fuit tranſducta, à magnifico Principe GUIGONE Comite veteri, ejuſdem *Guigonis* patre celebri donatione illuſtrata. Fuit autem maximo inſignita decore vultûs, ſcilicet eleganti formâ, & decenti ac totius corporis mirandâ compoſitione idonea: quam in primis infecundam & ſterilem vir ſuus potiùs incuriâ, quàm aliâ ductus occaſione, per annos aliquot minùs pleno dilexit amore. Unde factum eſt, quòd marito eam tenuiter diligente, & ſocero ſe minùs curioſum circa eamdem exhibente, plerumque ferret neceſſariorum inopiam: quod ita patienter atque tacitè pertulit, quòd vix à quoquam vel raró exinde conqueri audiretur. Inerat equidem illi, ac nunquam ineſſe deſtitit verecunda ſobrietas, cujus pudore devicta, ſi quid angebat, ſuis etiam familiaribus fateri erubeſcebat. Cujus

freni obſtaculo ſeſe à pluribus cohibebat illicitis, & modum ſervare ſtudebat. Tandem ipſo eam viſitante, annuâ fecunditate lætificata filios ac filias peperit: viri ſui ita pleniter ſortita gratiam, ut eam ſicut Jacob Rachelem diligeret, & tam ſui quàm Comitatus compotem ad plenum efficiens; diſcretis ipſius fultus conſiliis, in quibus provida exiſtebat, quamplura diſponeret. Quem ſæpius quod poterat, ab immoderatis illa compeſcebat exceſſibus, atque erga ſubditos, præſertim erga pauperes, eum eſſe clementem propenſiùs exorabat. Porrò non poſt multorum annorum curriculum, dum inter ipſum & *Savotienſem Comitem* guerra exerceretur aſperrima, Comes Dalphinus in prælio vulneratus, dolore vulneris coarctante, vitæ terminum poſuit, illáque cum geminis filiabus & parvulo deſolata remanſit. Quæ acerbi mœroris ſtimulis agitata ita eum planxit, ut mortem videretur optare: ita

eum flevit, quòd ferè prope ipſum æſtimaretur deficere. Ad cujus animam multiplicibus beneficiis adjuvandam pietatis fervore accenſa, eo in Eccleſiæ Gratianopolitanæ clauſtro à Domino bonæ memoriæ UGONE Epiſcopo, qui poſteà Viennenſi Eccleſiæ præſedit, venerabiliter ſepulturæ mandato, eidem Eccleſiæ, ac religioſis circumſtantibus Eccleſiis larga impendens beneficia, multa pauperum millia eleemoſynarum recreavit largitione. Probata eſt inſuper eamdem fidem ſervaſſe defuncto, quam integerrimè ſervaverat & viventi, cùm indeficienter ipſius piè memor exiſteret, in ejúſque anniverſario ad Eccleſiam Gratianopolitanam vicinos convocans Sacerdotes & Clericos, ut acceptabile Deo ſacrificium pro illius offerrent requie, eiſdem devotè ſupplicaret. Copiosâ quoque egenis undique congregatis eleemoſynâ diſtributâ, Canonicos ejuſdem Eccleſiæ, & Clericos aliundè venien-

tes Monaſteriorum circumadjacentium habitatores faciebat optimè procurari.

Cùm ergo Comite jam defuncto ei laborioſior cura, graviorque laboris ſarcina ad regimen Comitatus incumberet, eum cum tantæ diſcretionis conſilio & tranquillitatis quiete adminiſtravit, ut non feminei, ſed animi per cuncta videretur virilis. Proceres etiam ſui Comitatus ac Nobiles quadam animi circumſpectione peritâ ita ſibi ex debitâ fidelitate noverat amicabiliter obligare, ut univerſi ad cuſtodiendum Comitatum incolumem, ejus gratiâ & ſollicitudine fideli intenderent. Si quando autem aliqui circumſtantium Principum, occaſione aliquâ emergente, adversùs eam arma ſumere ſe dixiſſent, potiùs divino quàm humano confidens præſidio, Sacerdotum atque Religioſorum implorabat ſuffragia, & ut ſibi à Domino pacem impetrarent exorans, terrores comminantium, eorum interceſſionibus tanquam

quam forti clypeo repellebat.

Sed quando morum ejus inſignia vel ad modicum potero prælibare? Congeſſerat enim Dei gratia in eam tot prædicandos virtutum titulos, ut nullum ei deeſſet ad præſentis vitæ felicitatem augendam morum inſtrumentum, haberet etiam ad cæleſtis patriæ beatitudinem adipiſcendam, evidentem notitiam ac documentum. Erat quippe in juſtitiâ diſtricta, in prudentiâ circumſpecta, in temperantiâ moderata, in laboribus fortis, in conſilio ſagax, in ſermone verax, affabilitate inſignis, clemens in ſubditis, continentiâ nitida, & universâ morum honeſtate conſpicua: erga Deum amore fervens, erga proximum non negligens, afflictis & injuriam patientibus compatiens, erga egentes caritatis viſceribus affluens, in cunctis miſericors, in actibus quantumcunque poterat inſons: quódque omni admiratione dignum eſt, & à ſæculis inauditum,

multóque vehementiùs in potenti & generoſâ feminâ ſtupeſcendum, nunquam injuriâ vel tædio affecta, ſive minùs decentibus verbis laceſſita, cuiquam familiari aut alieno ingeſſiſſe maledictum, protuliſſe convitium, vel ad contumelioſa objecta quidpiam opprobrii reſpondiſſe potuit deprehendi. Turpiloquium quoque cautiùs evitabat, æſtimans exinde os ſuum in dicendo, aures in audiendo pollui. Nunquam ſiquidem verbum inhoneſtum; aut quidquam laſciviæ redolens audiebatur proferre. Et quia illud Apoſtoli
1. Cor. 15. 33. noverat: *Corrumpunt bonos mores colloquia mala;* confabulationibus peſſimis linguiſque detrahentibus aures, quantum ſibi licuit, ſubducebat. Nulla ei cura exſtitit polire faciem, ora depingere, alienis capillis turritum verticem ſtruere, fuliginata ſupercilia gerere: quod & in cæteris mulieribus vehementer deteſtabatur, quæ alienos vultus ſibi mentientes, genas peregrino

rubore, ora & collum adulterato depingunt candore. Audiant hæc quæ nubere Chriſto voluerint. Si quando in loco ſtetiſſet, ad ſpectacula non proceſſit, nec à ſuis eſt egreſſa thalamis, niſi aut Eccleſiam adiiſſet, aut eam ad alium equitare locum domeſtica cura vocaſſet: cúmque ſciret, famam pudicitiæ in feminis rem eſſe teneram, & quaſi florem pulcherrimum ad levem auram citò marceſcere, levíque flatu poſſe corrumpi, corpus & cor ſuum omni cuſtodiâ ſervabat, & corpore ac mente ſe caſtam exhibere curabat. Quapropter eos qui levitati expoſiti, adulterinâ linguâ, impudicis alloquiis, illius clauſtra pudicitiæ infringere attentabant, non mordacibus dictis, non iracundis reſponſis, ſed rationabiliter & peritè à ſe repellens, eadem vel ſimilia quæ quidam Poëta in perſonâ viduæ continentis protulit, reſpondebat.

Æneid. IV. 29.

Ille meos, ſolus qui me ſibi junxit, amores
Abſtulit: ille habeat ſecum, ſervétque ſepulchro.

Verùm quia fieri nequit, ut abſque morſu hominum, vitæ hujus curricula quis pertranſeat, ſi rumores ſiniſtri de ipsâ fuerunt aliquando ventilati; conſtat eos (ut ſequentia declarabunt) ſolo livore ab illis fuiſſe confictos atque diſſeminatos, quorum ſolatium eſt bonis detrahere, dum culpam æſtimant multitudine minui peccatorum. O admirandi & conſtantis animi feminam, quæ duplici infirmitati, carni ſcilicet atque ſexui muliebri obnoxia, inter famulantium multitudinem, inter circumſtrepentem adventantium gregem, in pulchritudine ſervavit caſtitatem, atque in medio ignis poſita flamine, ardorem illæſa evaſit! Eſt enim ſummæ vigilantiæ ac laborioſæ ſollicitudinis, ſupene ultra naturam, corpoream ſuperare libidinem, carníſque fæces atque

concupiſcentiæ flammas exſtinguere, animíque virtute incluſum hoſtem jugiter expugnare, & contra legem naſcendi, in carne non carnaliter vivere. Unde & ipſa nunquam abſque honeſto & pudico exſtitit Capellano, contra cujus pudicitiam nec etiam maledica lingua, aliqua lacerationis famæ poterat invenire figmenta; à quo divinum horarum diei audiens officium, ut ſui ſtudii & moris fuerat, ſingulis diebus celebrationi Miſſæ intererat, Sacerdoti, immò Deo per Sacerdotem, quotidianam offerens oblationem. Noverat verò Pſalmos legere, & orationes nonnullas quas ſcriptas habens, dum orationis ſtudio inſiſteret, quotidie aut in Eccleſiâ aut in camerâ ſuâ tam interioribus quàm exterioribus oculis relegebat: quam ob rem Pſalterium pretioſum litteris aureis decoratum, ab Imperatrice * nepte ſuâ ſibi tranſmiſſum ſecum faciebat indeſinenter deferri.

* *Beatrice Friderici conjuge.*

Sanè tantorum conventus bonorum

in feminâ, gratiæ munus exſtitit, non naturæ. Deferebat equidem feminæ, dum ſibi formoſa provideret pudicè; Comitiſſam reprimebat, dum ſervaret in poteſtate clementiam, quâ ſicut nihil eſt humanitati affinius, ita nihil in præſidente gloriosius. Sciebat nimirum eſſe culpam, totam perſequi culpam, & quæcumque licent explere. Neceſſitate urgente, non voluntatis impetu inſtigante ad vindictam pertrahebatur: neminem puniebat abſque dolore. Porrò Eccleſias ſub ejus poteſtate ſtatutas, Eccleſiam Gratianopolitanam præ cæteris, ab infeſtantium incurſione pro viribus defenſabat, & earum quieti piâ curioſitate intendens, religioſa loca conſtruentibus benignâ ſubveniebat liberalitate. Conſueverat autem ſuam deducens curiam, in ſolemnibus feſtis, & præcipuè in beatæ Mariæ celebritatibus Gratianopolim venire, tum propter ſanctuarii reverentiam, tum quia divinum ibidem plenius audiebat offi-

cium : ubi quamdiu morabatur, nullum cuipiam in expenſis inferebat gravamen ; ſed ſi quidpiam ab aliquo mutuaſſet, perſolvi tempeſtivè & ex integro faciebat. Eos verò quos clericalis militiæ dignitas exornabat, humiliter & patienter audivit : quos autem religioſos agnoſcebat, gratanti animo ac benignó affectu honoravit & coluit. Exhibebat inſuper omnibus communem corde ac verbis dilectionis affectum, & in quantum ingenuitatis ſublimitas & potentiæ magnitudo permittebat, ſe jocundam & mitem quibuſque alloquentibus offerebat.

Cùm ergo, ut præſcriptum eſt, tantis morum polleret inſignibus, & virili induſtriâ ferè in omnibus femineam ſupergrederetur mollitiem, omnia inutilia reputans, ſe infructuosè credidit laborem inſumère, & quaſi otioſam Dei donum inutiliter poſſidere, niſi aliquid quod nulla poſſet delere vetuſtas, efficeret, per quod recentia dia-

bolo quotidie infligens vulnera, regnis tartareis innumerabilia inferret gravamina, regníſque cæleſtibus lucra conferens cumulata, creditori ſuo multiplices reportaret uſuras. Proptereà concepit gaudium, & peperit jucunditatem, concepit bonum, & inenarrabilem boni peperit ubertatem. Cogitans utique cogitavit eſſe bonum atque jucundum habitare ſorores in unum. Propter quod, Monaſterium illud in quo vos, venerabiles Dei ancillæ, ſuavi jugo Chriſti colla ſuppoſuiſtis, fundare ac ſtabilire curavit, ut unanimes habitaretis in domo unâ, & eſſet vobis anima una & cor unum in Deo: ut unum ſcilicet haberetis habitum & unum cibum, ad unum etiam ac ſummum inhiaretis bonum, quatenus unum & idem conſequeremini præmium. Qui enim adhærent Deo, unum corpus & unus ſpiritus in eis eſſe probatur. Ut autem cum Pſalmiſtâ poſſet dicere:
Pſal. 83. 5. *Beati qui habitant in domo tuâ, Domine,*

in ſæcula ſæculorum laudabunt te ; veſtrarumque orationum ſuffragiis, exceſſuum ſuorum plenam à Domino indulgentiam impetrare, mirabilis ſtructuræ Monaſterium fabricavit, miræ pulchritudinis Eccleſiam, clauſtrum idoneum, officinas admodùm competentes, voſque ibidem manu propriâ congregavit. Præthereà ne quid vobis deeſſet quò minùs expeditiùs curreretis ad bravium, vos ampliſſimis prædiis, largíſque ditavit ſubſidiis, & uberibus amplificavit reditibus. Hæc utique fuit vitis illius vineæ quæ extendit palmites ſuos uſque ad mare; quæ quod non habuit in radice, manifeſtè oſtenditur produxiſſe in palmite : hæc planè arbor quæ ex fructibus ſuis bona eſſe cognoſcitur, de quâ multiplices rami pullulantes, virgines, viduæ, continentes, flores producunt, & fructum afferunt in patientiâ.

Verùm ut ad commendationem prudentiæ ac peritiæ ſtylus iteratò ver-

tatur, cùm ejus filiæ ad nubilem deveniſſent ætatem, non abſque ſumptibus copioſis, alteram inclyto & potenti viro Arvernenſium Comiti, Regis Franciæ conſanguineo; alteram Valentinenſium Comiti, viro claris natalibus orto, lege matrimonii copulavit. Proinde verò cùm filius ejus jam adultus, militari cingulo ab Imperatore ſuſcepto, conſanguineam ipſius ſibi conjugali vinculo alligaſſet, atque inde regrediens, honorabiliter & cum ſollemni proceſſione, cum uxore ſuâ in Gratianopolitanâ fuiſſet receptus Eccleſiâ, ipſo cum matre & uxore ſuâ, univerſiſque Principibus, ac plebe, Epiſcopales domos introgreſſis, nonnulli ibidem aſſiſtentium, auditâ piâ ac rationabili exhortatione matris ad filium, obſtupeſcentes admirabantur, unde illi tanta venuſtas eloquii & ſapientia. Curam nempe atque regimen Comitatûs in manu illius refundens, monuit eum, Deum ſuper omnia diligere, Ec-

cleſiarum perturbatores propulſare, Eccleſiaſticos viros atque religioſas perſonas honorare ac protegere, in omnibus modum tenere, ſubjectos clementer regere, diligere juſtitiam, & iniquitatem odire. Pro eo inceſſanter ſollicita, quotidianâ & ſingulari prece Dominum exorabat, ut greſſus actúſque ipſius in voluntatis ſuæ beneplacito dirigeret, quatenus ad Dei reverentiam & ſubjectorum voluptatem Comitatui præſidere valeret. Inſtantibus ſibi guerris faciebat Deo ſalutares & gratiſſimas hoſtias immolari, ne vel in bello caderet, vel obitu repentino decederet, quem nec eſſe iracundum, neque ad minas præcipitem, neque ſuſurronibus aures facilè inclinare, materno exhortabatur affectu: quem etiam ſi quid nequiter, ſi quid immoderatè contigiſſet patrare, lenes amaris, amaros lenibus ſermones interſerens, eum frequentiùs increpabat.

Evoluto denique non plurium an-

norum curriculo, ille de quo univerſa ſpes matris ſuæ poſt Deum pendebat, inveſtigabili Dei judicio, gravi ægritudinis incommodo apud caſtellum *Viſiliæ* atreptus, jámque in extremis conſtitutus eſt. Qui licèt parvulam ex conjuge filiam ſuſcepiſſet, in matris manum, quam ad miſericordiæ opera dapſilem noverat & proclivem, Comitatum liberè reſignavit; fiducialiter credens, eam ſibi defuncto non deteriorem impendere partem. Qui poſt peractam confeſſionem, & ſalutiferam Viatici ſuſceptionem, inceſſanter Deum invocando, generale conditionis humanæ debitum exſolvit: raptus ne mutaret malitia intellectum, quapropter Deus properavit eum educere de mediâ iniquitate, ne longo vitæ itinere deviis oberraret anfractibus. Cujus ſolatio mater deſtituta, quanto potuerit mœrore affici, quantâ carnis ac ſpiritus anguſtiâ coarctari, facile eſt animis advertere, ſed difficillimum explicare.

Flebat enim irremediabilibus lacrymis, & tanquam fletibus ſatiari nequiret, effecta exanimis ſe infortunatam vociferabatur, ſe numeroſâ annorum multitudine ſuperſtitem exſtitiſſe, mortem ſui oblitam fuiſſe querebatur. Cæterùm brevi morâ interpoſitâ, rationis ſolamine mitigans quod fore noverat tolerandum, ad ſe rediit; & exequiis filii propenſiori curâ intendens, fecit eum in Gratianopolitanâ Eccleſiâ in patris ſui ſepulchro cum omni honorificentiâ tumulari. Ob cujus animæ requiem à Domino promerendam, multiplicium beneficiorum medicamen conficiens, pauperibus, cæcis, debilibus plura diſtribuens, Eccleſiam Gratianopolitanam, ac reliquas religioſas Eccleſias, alias prædiis & poſſeſſionibus, alias muneribus augmentavit. Cæteræ matres tumulos filiorum faciunt dealbari, & aliquâ coloris pulchritudine exteriùs decorari, atque dolorem pectoris his conſolantur officiis; hæc au-

tem cineres filii quieſcentes eleemoſynarum balſamo irrigabat, & pigmentis atque odoribus miſericordiæ confovebat, ſciens eſſe ſcriptum: *Sicut aqua exſtinguit ignem, ita eleemoſyna exſtinguit peccatum.*

Eccli. 3. 33.

Quòd ſi quis calumnietur, & dicat: Cur in laudibus ejus ita ſedulò immoraris, quæ viduata viro, orbata filio, ſericas noluit veſtes deponere, delicias reſpuere, cùm inter Chriſti ancillas aſſumptis ſervilibus indumentis, Domino poſſet expeditiùs militare? perfacilis ad iſta reſponſio. Plus eſt animum depoſuiſſe, quàm cultum. Difficiliùs quis arrogantiâ, quàm auro caret & gemmis. His enim abjectis, interdum glorioſis tumet ſordibus, & paupertatem adeptam vendit popularibus auris. Ait autem Apoſtolus: *In veritate comperi quia non eſt acceptor perſonarum Deus; ſed in omni propoſito, qui timet Deum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi.* Dicit enim Hierony-

Act. 10. 34.

mus, quòd nunquam eſt ſera converſio. Nam licèt majoribus meritis majus debeatur præmium, denarium tamen quem à primâ diei horâ in vineâ Domini laborantes accipere meruerunt, circa undecimam venientes aſſecuti fuere: quia nec quantitas diuturni vel brevis temporis ibi attenditur, ubi ſincera cordis devotio remuneratur. Prætereà urgebat ipſam adminiſtratio Comitatus, cujus cura regiminis ſibi jure contigerat: quem ſi abſque rectore dimitteret, ſuæ potiùs animæ acquireret detrimentum, quàm aliquid commodi lucraretur. Arduum inſuper erat, ex quo ingreſſa fuiſſet Monaſterium, eas quas Chriſto educabat, poſſe abſque penuria ſuſtentare, illíſque abundanter neceſſaria ſubminiſtrare, quibus, & nonnullis aliis in ſæculari habitu magìs profuit, quàm in Monaſterio potuiſſet prodeſſe.

Sed (ô amplectendæ in Chriſto milites) vos forſan ſuſpenſas detineo,

dum in laudibus ejus occupatus, vitámque ipſius cupiens facere longiorem; ad extrema pervenire formido. Sanatum vulnus, & in cicatricem obductum, quod & tempus & ratio jam in vobis (ut credo) curaverat, commemoratione exulcero, plagámque doloris inſtauro. Quæ enim aures tam duræ, quæ de ſilice exciſa præcordia, hujus lilii florem marceſcere, hanc virentem ſmaragdi gemmam conteri, hoc pretioſiſſimum margaritum frangi, & (ut expreſſiùs loquar) hujuſcemodi non mulierem, ſed viraginem morientem ſiccis oculis queant audire? Nondum annus poſt filii deceſſum effluxerat, poſt multos pro ejuſdem filii obitu toleratos dolores, poſt multiformia laboris ac ſollicitudinis pondera, quæ in Comitatu regendo pertulerat, confirmatis ab eâ ſponſalibus inter filiam filii ſui & Comitem ſancti Ægidii, cùm in villâ quæ *Mura* dicitur, moraretur, in graviſſimam incidit invaletudinem.

dinem. Quo audito, filia ejus MARCHISIA Domina, ſcilicet in his quæ mundi ſunt, admodum ſtrenua, in decenti ac ſpecioſâ corporis habitudine, verborúmque elegantiâ vehementer idonea, ad eam feſtinatò pervenit: quam plus ſolito obdormiſſe, atque adhuc dormitantem inveniens, (ſicut eſt ſagax & provida) metuens ne lethargiæ incommodo laboraret, juſſu ſuo egreſſis omnibus ibidem aſſiſtentibus eam familiariter excitavit. Hanc utique mater præ omnibus liberis gratam ſemper habuerat, ipsáque matri ferventiori jugiter dilectione adhæſerat: unde & in matris ægritudine, filiæ pietas erga eam ab omnibus comprobata magìs innotuit. Aſſidebat equidem lectulo, ſuſtentabat caput, quocunque ſe verteret ſupponebat pulvillum. Si opertorium aliquò laberetur, eam protinus operiens deſuper imponebat: pedes interdum manu confovens, ſtrata mollia ſæpe componens:

quicquid comeſtura erat, præparabat, eíque apponens, famulantium præveniebat officia: ſi alia quidquam feciſſet, ſibi fore dedecus & injuriam æſtimabat.

Sed quid ulteriùs differendo, dolorem veſtrum facio longiorem? Cùm morbi moleſtiâ ſe aggravari ſenſiſſet, accerſito ad ſe Sacerdote, vetuſtatis ſuæ ſaccum (ſi quis erat) in conſpectu Domini coram eo conſcidit, & quicquid tabis, quicquid vulneris latebat interiùs, plenariâ oris confeſſione, cordis contriti & humiliati devotione diluit funditus & abſterſit. Cúmque ſanæ mentis & integri ſenſus adhuc exiſteret, præmeditata diſpoſuit quid Eccleſiis, quid egentibus ad ſubventionem animæ ſuæ erogaretur. Id autem in potenti & inclytâ muliere, atque tanto tempore in ſæculo commoranti, admiratione dignum exiſtit, quòd ante corpus Chriſti ſibi allatum, per viginti & unum annos à tempore

obitus viri ſui ſe nullum virilem expertam fuiſſe amplexum teſtando perhibuit. Cur ergo non areſcebant mendaces garrientium linguæ? cur non præ ariditate faucibus adhærebant; quæ illam ſuos colere amaſios aſtruere præſumebant? donativa militantibus debita eis impendere confingebant? eam gravidam vel promptam ad partum garrire ſolebant? O venenoſas & præcidendas linguas, & per fruſta etiam lacerandas! O deteſtabile falſiloquorum genus! Cur non urbibus pellitur? cur non lapidibus obruitur? cur non præcipitatur in fluctibus? Verùm cùm in præſentis vitæ curſu lacerantium morſus nullus evadere queat, non miretur quiſpiam, ſi de hac ſiniſtra opinio falsò crebruerit: quippe cùm & Dominus Jeſus-Chriſtus, filius fabri, vinique potator, in deriſum & opprobrium dictus fuerit, & à pluribus pluries ei ſit exprobratum.

Poſtquàm verò, uti mos eſt, exple-

tâ confeſſione à Sacerdote abſolutionem accepit, ſalutaris hoſtiæ pane refecta non mediocriter exultavit. Advenerunt interim ad amplificandam ejus coronam (ô amabiles Dei famulæ) quædam de veſtro collegio,ad quas & ipſa miſerat accerſendas, quæ veteri homine illam exuentes, novóque illam cum regulari habitu induentes, veli diademate inſignierunt : quod multâ interioris hominis alacritate ſuſcipiens, ſpiritu ac mente Deo gratiarum actiones exſolvit.

Noluit ergo extunc niſi ſicut Sanctimonialem & religioſi habitus mulierem decebat, in plumarum jacere mollitie : unde mollia faciens linteamina removeri, ſibi dura ſtrui præcepit & vilia. Huc accedit quòd cùm ejus laudabilis filia paulò ſuperiùs memorata, gallinæ coctæ pulmentum ſibi ad veſcendum intuliſſet, ſe nunquam carnes eſuram reſpondit, quia nec monaſtici ordinis mulieribus, carneis veſci ali-

mentis regulâ prohibente licitum erat. Aiebat enim : Affligendum eſt corpus quod multis vacavit deliciis. Quæ ſæculo placui, ut Chriſto placeam, vel eminente morte dare operam debeo. Brevi poſt hæc ſpatio temporis ſuperveniente, cùm terminum vitæ non multùm remotum ſibi præſenſiſſet inſtare, valefaciens filiæ, orationes & divina omnia quæ habebat ſcripta, ſibi juſſit afferri, quibus ex corde perlectis, cùm liberam loquendi poſſibilitatem haberet, prout illi qui aderant, teſtati ſunt, cum nemine poſteà voluit verba conferre. Sed jam exacto unius horæ ſpatio, erectâ manu, in fronte & labiis ſignum Crucis impingens, anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſi- 1163.
mo ſexageſimotertio, ſexto Idus Februarii, vitalem ſpiritum exhalavit.

Cùm igitur abjectâ carnis ſarcinâ anima, veluti dignum eſt, confeſtim ad ſuum rediiſſet auctorem, nihil pallor mutarat in facie : ſed ita dignitas

quædam & ſplendor vultum illuſtraverant, ut eam non mortuam, ſed dormientem putares. Quódque omnibus his mirabilius eſt, atque ipſius meritis adſcribendum, cùm de loco prænominato ad Monaſterium tumulanda deportaretur, cerei accenſi feretro inhærentes, licèt vis ventorum toto die horribiliter flaret, nunquam tamen lucere deſierunt, nec ventorum ſpiraculis potuerunt exſtingui. Delatam ergo ad vos, reverendæ in Chriſto filiæ, matrem veſtram, licèt lamentantes, & præ anguſtiâ ſpiritus gementes, celeberrimâ proceſſione, & quâ potuiſtis ſecundùm Deum exultatione ſuſcepiſtis, honorabilitérque geſtantes in Eccleſiam induxiſtis. Adfuerunt & tunc Sacerdotes nonnulli pro ejus æternâ requie Miſſarum ſollemnia celebrantes, & quamplurimi gradus inferioris Clerici, vobiſcum per ordinem Pſalmos undique perſonantes. Inter hæc egregia ipſius filia Sacerdotes per ſingulos

oblationem faciebat: quæ vix à matre abſtrahi valens, non deſinebat deoſculari oculos, hærere vultui, totum corpus amplexari, cum matre deſiderans ſepeliri. Flebant inopes, matrem & nutricem ſe amiſiſſe clamantes. Lugeretis & vos ipſius alumnæ, ac voces plangendo extolleretis, niſi vos vociferari dedecuiſſet, vel ſi veſtro ſub ordine militantibus, in ſæcularium ſimilitudinem flere mortuos licuiſſet: crebris tamen ſingultibus, frequentibus agitabamini ſuſpiriis, lacrymas tacitè fundebatis; non quòd lugenda eſſet quæ occubuerat, ſed quia impatientiùs ferendum erat quòd talem deſiiſtis videre. Ad reverendas ejus exequias accurrentibus iſtius terræ Nobilibus, accurrit accepto nuncio Dominus Joannes Gratianopolitanus Epiſcopus, qui ſollemne Deo ſacrificium pro eâ offerens, peractâ celebriter & honorificè pompâ non funeris, ſed triumphi, primo ſui pontificatûs anno,

in medio veſtri Capituli ejus corpus venerabile tumulavit. Adhuc tamen ejus pia filia quaſi quibuſdam facibus mœroris accenſa, circa ſepulcrum volutabatur, & quaſi ſparſis crinibus ac veſte conſciſsâ, ora lacrymarum imbribus compluebat. Ad cujus lugubres voces Chriſtum æſtimo talia dediſſe reſponſa: Quid exclamitas? quid ploras? Non eſt mortua mater tua, ſed dormit: de tenebris enim ad lucem, de labore migravit ad requiem. Videtur etiam mihi, filiæ lamentanti matrem taliter reſpondiſſe: Si me unquam amaſti, filia; ſi mea ſuxiſti ubera, ſi meis es monitis erudita; ne invideas mihi, neque de voluntate Domini indigneris, & rebellibus lamentis invidiam facias poſſidenti. Nam diutiùs peregrinata, ad patriæ amœnitatem remeavi, & mundanâ ſolitudine pererratâ, ad terram lacte & melle manantem, Dei miſericordiâ præeunte perveni. Quieſce igitur, filia mea, nec

me hujuſmodi luctibus ulteriùs inquietes. Cùm autem planctus & gemitus ejulantis filiæ ſubſediſſent pauliſper, pro curioſitatis ſtudio largitionibus egenos lætificans, Sacerdotes & Clericos opulento refecit convivio: & nunquam maternæ affectionis oblita, illum dormitionis matris ſuæ diem, patríſque ſui anniverſarium honore annuo recolens, ſaçrificiorum myſterio, oblationum frequentiâ, eleemoſynarum inſtantiâ deducit celebrem ac ſollemnem. Materna quoque veſtigia ſequens, ſinceræ affectionis fervorem, quo erga vos tanquam adoptivas vel ſpirituales filias ſuas fervebat, nullatenus in ſe frigere vel tepere permittit. Amor enim ipſius, & gratia *** erga vos clementem exhibuerat, & vos fovens ac protegens frequentibus beneficiis recreat.

* *In hac lacunæ reponendum videtur*, quæ illam

Vos igitur, per omnia venerandæ Agni immaculati ſponſæ, quæ bonum certamen certatis, vel præteritæ vitæ

nævos abluitis, vel meritorum cumulos vobis augere contenditis, pretioſam matris veſtræ animam, beneficiorum acceptorum non immemores, quotidianis precibus Domino commendate: & ſi qua de terrenis contagiis ei adhæſit macula, orationum veſtrarum lavacro eam abluere ſtudioſiùs laborate. Inſuper converſationis ſuæ modum, & Vitam ſæpius relegentes, quicquid imitatione dignum inveneritis, eligite & colligite, veſtríſque profectibus coaptantes, verbis & actibus retinete. Probabile quidem eſt, & rationi congruum, hanc quæ cum Chriſto vivere creditur, in ore hominum *lugentem* memoriam obtinere. In cujus laudibus ſi quid minus, ſi quid incompoſitè viſus fuero protuliſſe, tam ignoranti quàm ſimplici ſcriptori, prout æquum eſt, indulgete. Requieſcat ergo per immenſam omnipotentis Dei clementiam in pace perpetuâ, fidelis, devota, & accepta Deo anima, & fructu

Lege *vigentem*

bonorum operum ſuorum perenniter cum ſupernis civibus potiatur. Amen.

Epitaphium quod apud Ayas fugientibus litteris hodieque legitur.

Anno ab Incarnatione Domini M. C. LXIII. VI. Idus Februarii MARGARETA Comitiſſa ſpiritum exhalavit. Item anno ab Incarnatione Domini M. CLXXXXVI. XII. Kal. Aug. Pon. MARCHISIA Chriſto ſpiritum reddidit.

Bernardo Priori Montis Mairani, decimas à Willelmo Pictavienſi Comite Valentino collatas, confirmat Odo Valentinus Epiſcopus, anno Chriſti 1181.

Ex autographo.

CUM omnium Eccleſiarum quæ ſollicitudinis noſtræ regimini ſubjiciuntur, utilitatibus & augmentis ex officio noſtro intendere debeamus, eas potiſſimùm dilatare atque fovere

nos oportet; quæ viris deputatæ ſunt religioſis, & in quibus honeſtas & religio ſpecialem locum obtinere videntur. Eapropter ego ODO Valentinus Epiſcopus tibi, BERNARDE, Prior Monaſterii *Montis Mairani*, & ſucceſſoribus tuis ejus Monaſterii Prioribus, in perpetuum donamus, laudamus, & confirmamus quaſcunque decimas infra terminos parochiæ tuæ, vel extra, WILLELMUS PICTAVIENSIS, Comes Valentinus, ſeu alii quilibet, pro ſalute animarum ſuarum, Eccleſiæ tuæ conceſſiſſe, ſeu potiùs reddidiſſe videntur. Concedimus & eidem Eccleſiæ tuæ, ſpecialiùs decimas infra terminos *Montis Largerii*, quas per manum Domini *R. Viennenſis Archiepiſcopi*, & noſtram, te, & *Willelmo de Monte Veneris*, Priore Bellimontis, coram me ſuper his querelam habentibus, tranſigendo retinuiſti. Hæ ſunt eorum omnium decimæ, quæ Comitis EUSTACHII propria fuerunt, & co-

rum quæ de feudo *Balaſtenſi* eſſe diçuntur. Quorumdam etiam prædiorum quæ ſunt de dominio *Arberti*, & *Hugonis Dai.* Ne igitur Monaſterium tuum ſuper his de cætero valeat inquietari, vel ſuper hoc dubietas poſſit oriri, hanc noſtram conceſſionem, ſive confirmationem, in ſcriptis redigi, & ſigillo noſtro muniri præcipimus. Addentes etiam, quòd ſi quis eam impedire vel retractare præſumpſerit, indignationem Dei & noſtram incurrat, & nomen ejus de libro vitæ deleatur. Teſtes ſunt Hugo de Stella, Petrus de Torno Capellanus meus, Bermundus Bajulus, Symon Monachus, Lambertus de ſancto Nazario, Willelmus de Stellâ. Facta ſunt hæc anno ab Incarnatione Domini M. C. LXXXI.

In ſigillo ovali ſtans in pedes Epiſcopus nudo capite, dextrâ benedicentis ritu compoſitâ, ſiniſtrâ pedum paſtorale præfert, ad oras ſcriptum † Odo Valentinensis Episcopus.

Ademarus Comes Valentinus confirmat omnia bona quæ Willelmus de Pictavis pater ejus donaverat quondam Eccleſiæ ſancti Geneſii de Montemairano.

Ex autographo.

NOVERINT univerſi præſentes litteras inſpecturi, quòd nos ADEMARUS Comes Valentinus laudamus & confirmamus ea omnia quæ Dominus WILLELMUS DE PICTAVIS pater meus donaverat quondam Deo & Eccleſiæ ſancti Geneſii *de Montemairano.* Scilicet decimam *per Arze*, & totum hoc quod Dominus WILLELMUS prædictus tenet, & alii tenent de ipſo, ſicut ducit molendinum *Gontairens*, & via molendinaria quæ venit deſuper condaminam Guidonis *de Montemairano*, quæ ferit ad nemus Villelmi *Liautauds*, & vadit directè ad blacham Petri *de Airâ*: & ferit ad viam quæ venit de caſtro

Vipiani: & vadit versùs caſtrum *Stellæ*, inter *Sanctum Chriſtofolum*, & *Folioſam*: & revertitur per coſtam *Dargenſonana*: & rivariam totam de Gelata ex utraque parte, uſque ad locum qui dicitur *Logellos*: & revertitur per rivariam *de Luiâ*, & per *Enciſas*, & eſt terra Galdrici de *Bellomonte*: & eſt ibi totum *Foiſſanez*, & feudum *Balaſtenez*, & feudus dictus *Pilaz*, & vadit directè viam quæ ducit verſus *Malumpertuz*: & vadit directè per locum qui dicitur *Verchape*: & ferit ad aquam ad introitum *de Charoias*: & revertitur ad terram *Jarentonis Vache*, de *Traſeis*: præter manſum *de Colombeir*, & terras dictas *Chanabas*: & de aliis Militibus de caſtro *Montilii Largerii*. Et infra iſtos terminos ſupradictos aliæ Eccleſiæ non poſſint aliquid adquirere per mandamentum caſtrorum. Sic pro hac confirmatione quam fecimus ſupradictæ Eccleſiæ *de Montemairano*, habuimus à Priore prædictæ Eccleſiæ xx.

ſolidos Viennenſium, quos numeravimus, & exceptioni non numeratæ pecuniæ renunciavimus: & promittimus quòd in omnibus prædictis contrà nullatenus veniemus, aliqua ratione legis, canonis, conſuetudinis vel usûs. Actum eſt hoc apud *Caſtrum Vipiani*, ſurſum in Curia. Teſtes ad hoc vocati fuerunt Johannes *Nenevers*, Pe. *Durre*, Willelmus *Bajulus*, Johannes frater ejus, Pe. *Salvani*, & multi alii. Et ad majoris roboris firmitatem, præſentem chartam nos ADEMARUS prædictus Comes Valentinus ſigilli noſtri munimine juſſimus roborari.

Locus ſigilli, quod propter paginæ anguſtias in ſequens folium rejecimus.

Hæ


+SIGILLVM·ADEMARI·PICTAVIENSIS·


+COMITIS·VALENTINENSIS·

Hæ tabulæ ſunt Ademari, filii Willelmi Pictavenſis, & Marchiſiæ: & datæ videntur ab Ademaro, cùm à patre jam ſenio gravi, ſui juris effectus fuiſſet, atque in Comitatus poſſeſſionem & adminiſtrationem miſſus.

Huic Ademaro uxorem fuiſſe ex Bauciorum illuſtri familiâ, oſtendit ſigilli ejus pars averſa, ſtellam exhibens ſedecim radiorum, Bauciorum gentilitium ſtemma. Quare Philippam Ademari conjugem, quæ in ſtemmate ſuo aquilam habuit; opinor Ademaro IV. fuiſſe uxorem ex familiâ Viennenſi, quia dicitur teſtamentum condidiſſe anno 1246.

Euſtachius Comes, cujus meminit Odo Epiſcopus Valentinus, fuit (ni fallor) Epiſcopus Valentinus 34. fortaſſe primus in quem concurrit regio munere dignitas Comitis, quâ hodieque gaudent Epiſcopi Valentini. Sic enim jura regalia pleriſque Galliæ & Germaniæ Epiſcopis conceſſa ſunt à Regibus, Viennæ, Veſontione & alibi; ſalvis tamen laïcorum Comitum juribus.

EXCERPTA
EX COLLECTANEIS
DE VITA ET REBUS GESTIS
SANCTI BERNARDI
CLAREVALLENSIS ABBATIS,

Auctore GAUFRIDO quondam illi ab Epiſtolis, ac poſtmodùm Igniaci, Clarævallis, Foſſænovæ, & Altæcumbæ Monaſteriorum Abbate.

OPUSCULUM IV.

EXCERPTA
EX COLLECTANEIS
DE VITA ET REBUS GESTIS
SANCTI BERNARDI
CLAREVALLENSIS ABBATIS,

Auctore GAUFRIDO quondam illi ab Epiſtolis, ac poſtmodùm Igniaci, Clarævallis, Foſſænovæ, & Altæcumbæ Monaſteriorum Abbate.

OPUSCULUM IV.

PRÆFATIO.

CUM ab aliquot annis à me jam prodiiſſet opus illud, cui titulum indidi: *Sancti Bernardi Clarevallenſis Abbatis genus illuſtre aſſertum*; exhibuit mihi R. P. Jacobus Vi-

gnier, è noſtrâ Societate vir eruditus, Vitam S. Bernardi, ab vulgatis omnibus (ut putabat) diverſam. Hanc ego contuli cum editis, hoc eſt, cum libro primo quem ſcripſit Guillelmus Abbas ſancti Theodorici; cum ſecundo, cujus eſt auctor Bernardus Abbas Bonævallis; cum tertio, quarto, & quinto, quos prioribus duobus adtexuit Gaufridus S. Bernardi Notarius; cum ſexto & ſeptimo quos ex anno 1641. Editioni Colonienſi adjecit Jacobus Merlonus Horſtius. Et de ſeptimo quidem libro in his Collectaneis nihil reperi: de quinque prioribus totam penè hiſtoriam inveni, ſed ſtylo nonnihil diverſo: de ſexto autem libro vidi penè de verbo reddi quidquid à capite ſexto habetur uſque ad finem libri, dempto capite ultimo & XVIII. Re autem diligentiùs conſideratâ, non dubitavi quin hæc eſſent Collectanea de Vitâ & rebus geſtis S. Bernardi, ac velut materiem ſcribendæ ejus hiſtoriæ præpa-

ratam : cujus tamen primum & ſecundum librum cùm elaboraſſent citati duo viri eruditi & graves, noluerit Gaufridus pios eorum labores opere ſuo obſcurare ; ſed intactis quæ illi tractaverant, reliquam S. Bernardi Vitam tribus libris proſecutus ſit, ad priores duos adnectendis. Non enim plures daturum ſe profitetur Gaufridus, cùm ait in ſuâ præfatione : *Opus iſtud libellis tribus partitum lector inveniet.* Poſteà tamen ſeorſim collegit S. Bernardi plurima miracula, præſertim in variis itineribus ab eo edita, quæ Horſtius in ſextum ſuum librum congeſſit, quinque duntaxàt primis capitibus ex Philippo de Claravalle adſumptis : atque librum hunc *Odæporicon* inſcripſit, quia ſingillatim ſancti viri itinera ſpectabat. Hæc certè Collectanea Gaufrido nemo abjudicaverit, cùm in iis legerit horum Excerptorum numero ſexto de epiſtolâ ad Robertum nepotem in imbre ſine imbre conſcriptâ :

Extat adhuc epiſtola: & ego ipſe primam eam conſtitui in corpore epiſtolarum, cùm audiſſem tam grande miraculum, ab ipſius ore qui ſcripſit eam in pluviâ ſine pluviâ. Cujus hæc ſunt verba, niſi Gaufridi, qui ab anno Chriſti 1140. ſancti viri Notarius fuit? Simul intelliget, è Scholâ Pariſienſi Gaufridum in ejus diſciplinam fuiſſe traductum, cùm exclamantem viderit: *Sit benedicta dies, quâ Sol juſtitiæ, immò miſericordiæ, oriens viſitavit ex alto miſeram animam meam, adverſum & perverſum nimis hominem, in verbo uno, in momento, in ictu oculi, mutatione dexteræ Excelſi prorſus in alium hominem recreans, ut ſim initium aliquod creaturæ ejus.* Decem quæ ſelegimus fragmentis, ex eo pretium eſt, quòd ea continent haud levis momenti, quæ apud alios rerum S. Bernardi Scriptores non reperiuntur.

Numero IX.

I. Ortus & genus S. Bernardi.

IN territorio Lingonis civitatis ſitum eſt Caſtrum, nobile quondam & inclytum valdè, cui Caſtellio nomen eſt, multos habens Proceres armis ſtrenuos, ſed multò magis legalitate præcipuos: inter quos excellebat Tecelinus quidam cognomento Sorus; quo nomine, vulgari linguâ ſubrufos & penè flavos appellare ſolemus. Erat autem vir iſte genere nobilis, poſſeſſionibus dives, ſuavis moribus, amator pauperum maximus, ſummus pietatis cultor, & incredibilem habens juſtitiæ zelum. Denique & mirari ſolebat, quòd multis oneroſum eſſe videret ſervare juſtitiam, & maximè (adversùs quos ampliùs movebatur) quòd aut timore aut cupiditate deſererent juſtitiam Dei. Erat quidem Miles fortiſſimus, ſed non minori ſtudio laudes ipſe fugiebat, quàm cæteri captare videantur. Nunquam armis uſus eſt, niſi aut pro defenſione terræ propriæ, aut cum domino ſuo,

Duce ſcilicet Burgundiæ, cui plurimùm familiaris & intimus erat: nec aliquando fuit cum eo in bello, quin victoria ei proveniret. Erat quidem indigena Caſtellionis, ſed Dominus minoris Caſtri, cui Fontanæ nomen eſt, quod famoſiſſimo illi Caſtro Divionis ſupereminet, in excelſa rupe locatum. Huic ſanè uxor erat, Elizabeth nomine, ex optimo genere Burgundionum, Bernardi de Montebarro filia, digna tanto genere & tanto viro, immò & gloria utriuſque. Elizabeth filium hunc divino edocta oraculo, teneriùs omnibus dilexit; unde & patris ſui ei nomen impoſuit, Bernardum eum vocans.

ELIZABETH ubique huic Auctori ſcribitur S. Bernardi mater, quæ aliis modò Aleth, nunc Alays ſive Alayſia; vocibus fortaſſe idem ſonantibus, & dialecto tantùm inter ſe diverſis. Quemadmodùm autem S. Bernardus (ut hîc vides) à Bernardo Montiſbarri do-

mino, avo ſuo materno, nuncupatus fuerat, ita & ſoror ejus Humberga, ſive Humbelina, quæ poſt illum proximè nata eſt, ab Humbergâ Granceianâ, aviâ ſuâ maternâ, nomen tulit. Conſtans eſt traditio fuiſſe S. Bernardo vel affines vel conſanguineos Dominos de Granceio; ſed probatio hactenus difficilis. In Caſtro Granceiano ſupereſt antiquæ ſtructuræ cubiculum, Sancti Bernardi vulgò dictum, quia in eo ipſe excipiebatur, quoties ad cognatos ſuos Granceyanos Dynaſtas divertebat. In Chronico Granceiano à quingentis ferè annis conſcripto, ſub titulo *De tertiâ filiâ de Granceyo*, affirmat Auctor, Adelcidem quæ Tecelino domino de Fontanis ſanctum Bernardum genuit, fuiſſe filiam filiæ Domini de Granceyo. Hanc verò Humbergam fuiſſe appellatam, habemus ex Chronico S. Petri Vivi Senonenſis ad annum Chriſti 1065. & Bernardo Montiſbarri Domino fuiſſe matrimonio copulatam. Erat

igitur S. Bernardus Granceiani Dynaſtæ in tertio gradu conſanguineus.

II. Viſum divinum in nocte Nativitatis Domini Bernardo puerulo oblatum.

ERAT *autem in Caſtellione Eccleſia, tunc quidem ſæcularium Canonicorum, ſed in maximâ diſciplinâ viventium, in quâ Bernardus eſt educatus à parvulo. Vigiliâ ergo dominicæ Nativitatis, dum adhuc puerulus dormiret in domo patris, videbatur ſibi videre virginem parientem, & Verbum infans naſcens ex eâ. Protinus autem pulſatum eſt ad Vigilias: & excitans eum mater, induit accuratè veſtibus Canonicalibus, & ſecum pariter ad Eccleſiam duxit ut ſolebat. De quâ viſione dicere ipſe ſolebat quòd eam crederet dominicæ Nativitatis horam: & quòd ſibi oſtenſum eſt, ſignum fuiſſe multorum quæ ſibi de eadem poſtmodùm Nativitate revelata ſunt myſteriorum.*

III. De ejus patre, & fratribus.

ANDREAS *Bernardo dixit: Ecce, date operam ne quis fratrum noſtrorum in ſæculo maneat: alioqui ſcinde me medium, quoniam nec à vobis, nec ab illis ſeparari tolerabile eſt.*

Quid virilem illius patris animum loquar? qui unâ die ſex filios, & filios tales videns abire, non modò non doluit, ſed & gaviſus eſt valdè; illud tantùm monens ut in omnibus modeſtè agerent, quoniam ego (inquit) novi vos, quòd aut vix aut nunquam poſſit zelus veſter cohiberi. Proficiſcentibus itaque fratribus, unus tantùm, & ipſe puerulus remanebat, qui cum parvulis aliis in plateâ jocabatur. Videns ergo eum ſenior frater Guido; Ecce (inquit) Nivarde, ſecurè poteſtis ludere, quoniam terram multam habiturus eſtis. At ille ſubſannans; Cum maledictione, inquit, fiat hæc diſtributio, ut vos cælum habeatis, ego terram. Fugiebat ergo quotidie puer ad fra-

tres ſuos, volens converſionis eorum ſocius fieri. Sed quia parvulus erat, remittebant eum, & reddebant patri ſuo. Tandem non ferentes importunitatem ejus, tradunt eum Sacerdoti cuidam, ut diſceret litteras: & ubi paululùm crevit, factus eſt & ipſe Novitius apud Ciſtercium, & ſuſcepto poſt anni ſpatium habitu, redditus eſt Fratribus in Claravalle.

IV. Guidonis primogeniti conjux, Abbatiſſa Elariaci prope Divionem, quando hæc ſcribebat Gaufridus.

SENIOR *frater ejus Guido cùm de converſione loqueretur ei, excuſare ſe cœpit de uxoris vinculo quod ſolvere non liceat. Promiſit tamen in fide, & dextram dedit, venturum ſeſe cum fratre, ſi poſſet ab uxore licentiam obtinere. Ad quem illicò frater ait: Ut meliori ſis animo, ego quoque in eadem tibi fide promitto, ante proximum Paſcha, aut licentiâ, immò & petitione, aut certè morte ipſius, ſolvendum te à lege uxoris. Et*

promiſit in manu ipſius. Nec multò pòſt factum eſt utì prædixit, & cæpit juvencula nobilis & decora, cum omni inſtantiâ lacrymarum, in cubiculo, ſtupenti viro pro converſionis licentiâ ſupplicare. Ipſa eſt quæ uſque hodie in Monaſterio Lairicus, quod prope Divionum ſitum eſt, perſeverat mulier virtutis, & multarum in Chriſto Virginum Mater.

Sub hujus Præfectæ Lariacenſis curâ fuiſſe videtur Aremburgis, Hugonis II. Burgundiæ Ducis filia, de cujus dote ſunt tabulæ ſequentes ex autographo Benigniano deſcriptæ.

Hugo II. Dux Burgundiæ, Aremburgem filiam ſuam in Monaſterio Lariacenſi velandam Deo conſecrans, dat eidem Monaſterio omnem Juſtitiam, cum omnibus exactionibus & conſuetudinibus quas apud Lariacum habebat: laudantibus Mathilde conjuge, & quatuor filiis, Odone, Roberto, Henrico, atque Hugone: adſtantibus, Hugone S. Benigni, Stephano

Ciſtercienſi, Bernardo Claravallenſi, & Herberto S. Stephani Divionenſis Abbatibus, aliiſque Reverendis ac Nobilibus viris. Circa annum Chriſti 1127.

„ IN NOMINE ſanctæ & individuæ
„ Trinitatis. Præſentibus cunctis &
„ futuris notifico, quòd ego HUGO Dux
„ Burgundiæ, quando filiam meam
„ AREMBURGEM tradidi in Monaſte-
„ rio *Lariacenſi* Deo ſervire, laude
„ uxoris meæ *Mathildis* ac filiorum meo-
„ rum *Odonis*, *Roberti*, *Henrici*, atque
„ *Hugonis*, dederim Deo & Sancto Beni-
„ gno Divionenſi, ac Monialibus de
„ *Lariaco*, omnem Juſtitiam, cum omni-
„ bus exactionibus & conſuetudinibus
„ quas apud *Lariacum* habebam, vel me
„ debere ibidem habere dicebam: & con-
„ ceſſerim ut Monachi qui eidem loco
„ præeſſent, jure quieto in perpetuum
„ illas haberent. Huic autem donationi
„ meæ interfuerunt plures tam ſæculares
„ nobiliſſimi viri, quàm religioſi, qui
etiam

etiam inde teſtes exiſtunt. HUGO Ab- «
bas Divionenſis, STEPHANUS Ab- «
bas Ciſtercienſis, BERNARDUS Ab- «
bas de Claravalle, *Girardus* frater ejus, «
Herbertus Abbas ſancti Stephani Di- «
vionenſis, *Wale* Abbas, *Raynerius* de «
Rupe, *Girardus* e Caſtellione, *Johan-* «
nes de Belnâ, & *Raynardus* frater ejus, «
Widricus Divionenſis, & *Aymo* fra- «
ter ejus, *Carpin*, *Hugo* de Beſuâ, «
Petrus frater ejus *Hugo* de Yſio, *Oddo* «
Coccus, *Uldierius*, *Robertus* Sacriſta, «
& alii plures. «



Harum tabularum epocham demonſtrant Herbertus S. Stephani, & Hugo S. Benigni Divionenſis Abbates. Iniit enim Herbertus anno 1125. Abdicavit autem Hugo 1129. Medio igitur tempore, adeóque circa annum 1127. in Lareio velata eſt Aremburgis.

Eodem porrò ſe receperat Guidonis primogeniti Bernardum fratrem in Monaſterium Ciſtertienſe comitati conjux, ex anno 1113. quæ ſi jam anno 1127. Lareienſi Parthenoni nondum præerat, poterat certè regiæ puellæ Aremburgis educationi à Monaſterii Matre præfici. Quo factum videtur, ut adeſſet inter cæteros Bernardus ejus dotationi, ſive ut illius cum cæleſti Agno nuptias ſuâ præſentiâ cohoneſtaret, ſive ut illam fratriæ ſuæ de meliore notâ commendaret.

Lariaci ſive Elariaci dominium utile, Sancto Benigno jam olim contulerat Guntrannus Rex, confirmaverat Rex Chlotarius III. Wlfechramno Abbati, IX. Kalendas Novembris, anno regni ſui octavo: addidit Hugo Dux II. dominium altum quaſi pro dote filiæ ſuæ Aremburgis. Si quæris de origine Lariacenſis Parthenonis, aio videri ad Jarentonis Abbatis tempora referendam. Ex Chronico Hugonis Floria-

cenſis, Jarento apud Caſam Dei habitum ſuſcepit monaſticum anno Christi 1074. Vaſta erat eremus, utpote quæ ante annos viginti, habitationes hominum non noverat. Ibi mox compulſus eſt magiſter fieri ex diſcipulo, & Prioris ſuſcepit officium juſſu Duranni Abbatis, & totius Congregationis voto. Triennium eo munere eſt perfunctus, donec in Concilio Auguſtodunenſi creatus eſt Abbas S. Benigni Divionenſis, & à Rainardo, cognomento Hugone, Lingonenſi Epiſcopo ſollemni ritu conſecratus XV. Kalendas Octobris anni 1077. Jarento jam Abbas, proximè ſequenti anno 1078. XIII. Kalendas Julii privilegium obtinet à Gregorio Papa VII. in quo inter alia hæc ait Pontifex: *Eccleſiam quoque Beati Germani de Laré, ubi Sanctimoniales conſiſtunt, vobis perpetuò confirmamus poſſidendam: & ut ipſæ Sanctimoniales nunquam à ſubjectione Eccleſiæ Divionenſis ſe removeant, ſub ana-*

themate prohibemus; ſed ſemper per veſtram providentiam gubernentur. Dederat (ut jam monui) Guntrannus Rex Sancto Benigno *vicum qui eſt in proſpectu hujus Monaſterii* (inquit auctor Chronici Benigniani) *tunc magnæ amplitudinis, vocatum Elariacum, cum omnibus appendiciis ſuis, ſuper Oſcaram fluvium ſitum.* Sed de Monialium ibi conſtitutâ familiâ nullum uſpiam verbum ante Jarentonem. Junge nunc tempora, compara inter ſe eventus, & ad rerum geſtarum adjuncta animum adverte.

Hildeberti Marchiæ Comitis filia, anno Chriſti 1076. ad Caſæ Dei vaſtam eremum fit Monialis. Cujus porrò curæ committitur, niſi Jarentonis qui Prior erat Caſæ Dei ex anno 1074. Cùm exinde aliò deductas fuiſſe conſtet Caſæ Dei Moniales, numquid locum quaſi digito monſtrat Jarento, factus Abbas Divionenſis autumno anni 1077. Vicum nempe Elariacum ditionis S. Benigni, & in Benigniani Mo-

naſterii proſpectu poſitum? Et Sanctimonialium Congregationis in S. Benigni agro conſtitutæ regimen quid neceſſe erat reſcripto Pontificio Benignianis vindicare, niſi ut ab eo arcerentur Caſæ Dei Monachi, qui tanquam à ſe Deo conſecratas, velle poterant ubique regere, ac ſibi habere obnoxias.

Plura nos de hoc argumento in Sacrario noſtro Jurenſi, hoc eſt, in Hiſtoriâ Monaſterii S. Claudii, brevì (ut ſperamus) typis excudendâ: cùm ageremus de ſancto Simone ex Comite ad S. Eugendum Monacho. Hunc enim ſibi generum ambierat Hildebertus Marchiæ Comes. Sed oblatam ſibi conjugem Simon in Chriſti Sponſam convertit, quâ ad Caſam Dei factâ Moniali, factus ipſe eſt Jurenſium Patrum ſanctitatis æmulator.

Hæc de exordiis Lareyenſis ſeu Lariacenſis Monaſterii, quo excepta eſt Aremburgis Hugonis II. Burgundiæ

Ducis filia, de nomine ataviæ ſuæ ſic appellata. Sed his principiis non reſpondit recentiorum temporum curſus. Laxatâ ſæculis poſterioribus & Monachorum Benignianorum, & Lariacenſium Monialium diſciplinâ, primùm harum imminutus eſt numerus, & loci proventus inter Monachos & Moniales diviſi, tandem Priori Monacho ad hanc diem ceſſere in ſolidum: nuper (ut audio) Ludovici Magni, Chriſtianiſſimi Regis ſtudio, ſuſtinendis Societatis Jesu Orientalibus Miſſionibus deſtinati.

Lareyi antiquum ſtatum ex Archivi Benigniani ſequentibus aliquot tabulis cognoſces.

Guntrannus Rex dat S. Benigno Vicum Elariacum, in proſpectu Benigniani Monaſterii ſitum, cum omnibus rebus ad illum ſpectantibus, anno regni ſui XXIII. *æræ vulgaris* 583.

Ex Chronico S. Benigni, cap. XVIII.

» GUNTRANNUS Rex Franco-
» rum, cùm jam anno XXIII. Re-
» gnum Burgundiæ feliciter regeret, vi-
» dens ſibi liberos non ſupereſſe, cœpit
» theſauros ſuos in eleemoſynis paupe-
» rum diſtribuere, Monaſteria & loca
» ſancta ex ipſis theſauris ditare: inter
» quæ & eccleſiam hujus patroni noſtri,
» ſancti ſcilicet Martyris Benigni, donis
» optimis extulit. Ipſe denique dom-
» nus Guntrannus præcellentiſſimus Rex
» dedit ſancto Benigno vicum qui eſt in
» proſpectu hujus Monaſterii, tunc ma-
» gnæ amplitudinis, vocatum ELARIA-
» CUM, cum omnibus appendiciis ſuis,
» ſuper Oſcaram fluvium ſitum. Et om-

nia quæ nunc uſque ad poſſeſſionem «
pertinent hujus loci, à ponte Divionis «
uſque Floriacum villam, contulit me- «
moratus Princeps ſancto Martyri Be- «
nigno. In Biciſo ſcilicet, in villa Co- «
lonicas dictâ, in Plomberias, in Sili- «
niaco, in Scontio, in Villari, in Cam- «
paniaco, in Lentennaco, in Girone, «
in Corcellas, in Flaviniaco, in Pruni- «
do, in Juſſiaco, in Matriniaco, in Bar- «
biriaco. His & aliis locis manſa veſti- «
ta, & abſa, cum mancipiis plurimis «
utriuſque ſexûs, terris cultis & incul- «
tis, vineis, ſilvis, pratis, paſcuis, aquis «
aquarúmque decurſibus, ingreditiis, «
exis & egreſſis, omnibus rebus exqui- «
ſitis & inquirendis, totum ad integrum «
contulit memoriâ dignus Rex Gun- «
trannus Deo & Sancto Benigno, ad «
victum Monachorum Deo in hoc loco «
deſervientium: ut pro ſe ac ſequentium «
Regum ſalute & peccatorum remiſſio- «
ne, regníque totius ſtatu Domini exo- «
rent clementiam Monachi in iſto loco «
degentes.

jordomus Regis ſuprà nominatus Aubedo, quem in ſcripto ejuſdem præcepti Audebellum vocat. « « «

Clotharii III. anno octavo, Chriſti 667. IX. Kalendas Novembris Benignianis Lareyum vindicat Wlfechramnus Abbas: cujus anteceſſor hîc appellatur Richimarus, æqualis Bertoaldi Lingonenſis Epiſcopi, ſubſcripti in Concilio Cabilonenſi circa annum Chriſti 650.

Ex antiquo apographo.

CLotarius Rex Francorum, vir illuſter. Quotienſcumque altercantum jurgia Palatii noſtri, noſtra, noſtrorúmque fidelium aut Eccleſiarum ſeu Sacerdotum, pro quarumcumque rerum negotiis noſcuntur advenire, oportet nobis in Dei nomine juxta legum ſeveritatem inquirere, ut deinceps nulla videatur quæſtio removeri. Ideóque cùm nos in Dei nomine, Maſolago in Palatio noſtro, unà « « « « « « « « « « «

„ cum Apoſtolicis viris Patribus noſtris
„ Epiſcopis, Optimatibus, cæteríſque
„ Palatii noſtri miniſtris; necnon & Au-
„ dobello Palatii noſtri Comite, qui de
„ ipſo miniſterio ad præſens nobis deſer-
„ vire videbatur, ad univerſorum cauſas
„ audiendas, juſtóque judicio terminan-
„ das reſideremus; advenientes ibi acto-
„ res Baſilicæ domni Benigni, quæ eſt
„ ſub oppidum Divione conſtructa, (ubi
„ ipſe pretioſus Martyr in corpore re-
„ quieſcit, & vir venerabilis Wlfe-
„ chramnus Abba præeſſe videtur) vi-
„ debantur repetere à quibuſdam ho-
„ minibus, dicentes quia anteacto tem-
„ pore bonæ recordationis parens noſter
„ domnus Guntrannus quondam Rex,
„ per teſtamenti ſui paginam ad ipſam
„ Baſilicam Sancti Benigni, villam nun-
„ cupatam Elariacum, cum adjacentiis,
„ vel omni re ad ſe pertinente conceſ-
„ ſiſſet; & ipſi homines infra ipſos ter-
„ minos commanentes, ex parte maximâ
„ plurima pervaſiſſent; vel ad ſuam par-

tem contradicerent, & redditus terræ «
partibus ipſius Baſilicæ reddere con- «
tempnerent, & ſilvas de ipſo agro de- «
vaſtaſſent; & terram exinde aut prata «
per loca plurima invaſiſſent, vel vineas «
plantaſſent, aut calmas rupiſſent. «

Econtrà illi dicebant, quòd ipſe «
Princeps domnus Gundrannus per præ- «
ceptionem quam in præſenti protule- «
runt relegendam, in anteceſſores pa- «
rentes eorum firmaſſet; ubi contine- «
batur quòd ab eo tempore quo ipſum «
agrum Elariacum jam dictus Princeps «
ad memoratam Baſilicam Sancti Beni- «
gni contulerat, per munificentiam ip- «
ſius Principis promeruerant, ut quid- «
quid ex ſucceſſione parentum habe- «
bant, hoc in idipſis confirmatum eſſe «
deberet. Interrogatum eſt à noſtris Pro- «
ceribus, ſi ceſſionem ipſius domni Gun- «
dranni, aut aliorum Principum, ſeu «
alia inſtrumenta de ipſo agro habebant, «
an non, in præſenti edicere deberent. «
Sed ipſi profeſſi ſunt ad præſens, quòd «

» aliud inſtrumentum nullum vel firma-
» tionem magis exinde non haberent,
» quàm quod præſentabant. Unde & ip-
» ſas confirmationes relectas & percur-
» ſas, inventum eſt à fidelibus noſtris
» quòd nullum dettrimentum vel præju-
» dicium ipſa Baſilica domni Benigni de
» ipſo agro Elariacenſe exinde pate-
» retur. Etiam & pactionem præſenta-
» bant, qualiter anteceſſor ſupradicti
» Wlfechramni Richimarus quondam
» Abba, ſeu & Apoſtolicus vir domnus
» Bertoaldus Epiſcopus, unà cum ipſis
» vel parentes eorum, de parte maximâ
» de infra termino ipſo Elariacenſe con-
» tentionem maximam habuiſſent, &
» ipſas terminationes perambulaſſent, &
» ſigna poſuiſſent. Proinde nos taliter
» unà cum noſtris Proceribus, in quan-
» tum illuſter vir Audobaldus Comes
» Palatii noſtri teſtimoniavit, conſtitit
» decreviſſe, ut dum hæc cauſa inter
» ipſos (ſicut ſuperiùs continetur) ta-
» liter acta vel inquiſita fuiſſet per or-

dinem, jubemus ipſo agro Elariacen- «
ſe, quantumcumque domnus Gun- «
drannus per teſtamenti ſui paginam «
ibidem delegavit, poſtpoſitâ & calca- «
tâ ipsâ confirmatione, vel reliquas à «
ſucceſſoribus Principibus factas deſcri- «
ptiones : ne deinceps per ipſas aliqua «
removeri videatur cauſatio; ſed quod «
hactenus tenuiſſe videbuntur infra ipſo «
pago Elariacenſe, vel ubicumque, tam «
terris, curtiferis, caſis, vineis, pratis, «
ſilvis, paſcuis, aquis, adjacentibúſque «
ſuis per alia loca, cum omni jure te- «
neant, poſſideant abſque ſollicitudine, «
abſque alicujus repetitione : ſitque in «
Dei nomine ad partem Sancti Benigni «
& proviſorum loci, ſubjectorúmque eo- «
rum evindicatum omni tempore : & ſit «
in poſterum de hac re ſopita cauſatio. «
Abbelenus recognovit & datavit «
ſub die nono Kalendarum Novem- «
bris, in anno octavo regnante domino «
noſtro CHLOTARIO feliciter. Amen. «
Airardus Preſbyter recognovi & ſub- «
ſcripſi.

Gregorius Papa VII. Jarentoni Abbati, ejúſque Monaſterio, jus eligendi Abbatem, exemptionem ab interdicto Epiſcopi Lingonenſis, jus recipiendi Monachos, & miniſtros pro Eccleſiis ſibi ſubjectis Epiſcopo præſentandi : libertatem clauſtri : poſſeſſionem Eccleſiæ S. Germani de Laré, & in ejus Sanctimoniales juriſdictionem : omnia denique bona & jura ſua, Apoſtolicâ auctoritate confirmat, anno Chriſti 1078. *Pontificatus* V.

Ex autographo.

„GREGORIUS Epiſcopus ſervus „ſervorum Dei venerabili filio „GERENTONI Abbati Divionenſis „Monaſterii, ejúſque ſucceſſoribus regu„lariter promovendis in perpetuum. Su„pernæ miſerationis reſpectu ad hoc „univerſalis Eccleſiæ curam ſuſcepimus „& Apoſtolici moderaminis ſollicitudi„nem gerimus, ut juſtis precantium votis

attentâ

attentâ benignitate faveamus. Proinde, «
dilecte in Domino fili JARENTO Ab- «
ba, petitionibus tuis grato occurren- «
tes aſſenſu, libertati ac quieti Mona- «
ſterii veſtri auctore Domino duximus «
providendum. Siquidem ipſum Cœno- «
bium ſub Sedis Apoſtolicæ protectione «
ſuſcepimus: & obeunte te nunc ejuſ- «
dem loci Abbate, vel tuorum quoli- «
bet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet «
ſubreptionis aſtutiâ ſeu violentiâ præ- «
ponatur, niſi quem Fratres communi «
conſenſu ſecundùm timorem Dei, & «
Regulam Sancti Benedicti elegerint: «
maximè de eadem Congregatione, ſi «
idoneus inventus fuerit. Quòd ſi talis «
qui huic regimini congruat, inter eos «
inveniri non poſſit, aliunde ſibi Patrem «
& Magiſtrum expetant, & à Lingo- «
nenſi Epiſcopo conſecrandum ordi- «
nandúmque provideant: ſi tamen ipſe «
Epiſcopus gratiam Apoſtolicæ Sedis «
habuerit, & canonicè facere ipſam or- «
dinationem voluerit. Quòd ſi aliquid «

» horum obſtiterit, liceat Electo ejuſ-
» dem Monaſterii, aut ad Apoſtolicam Se-
» dem recurrere, aut à quocumque volue-
» rit religioſo Epiſcopo conſecrationem,
» & Clericorum ordinationes, atque cæ-
» tera quæ ad Epiſcopum pertinent, ſuſ-
» cipere. Statuimus etiam ne ab Epi-
» ſcopo vel miniſtris Lingonenſis Eccle-
» ſiæ, divina veſtro Monaſterio interdi-
» cantur officia: ſed continuè celebren-
» tur, niſi eiſdem cauſis Fratres ceſſare
» oporteat, quæ Sedis Apoſtolicæ Præ-
» ſulis *Benedicti* determinatione diſtinctæ
» ſunt Illam quoque in Monachis tuis
» quietem ac libertatem, quam idem
» Præſul decreto ſuo firmavit, nos Bea-
» ti Petri & noſtrâ auctoritate intemera-
» tam perpetuò manere ſancimus. Qui-
» cumque verò Clericorum vel laïco-
» rum ſeſe in Monaſterio veſtro voluerit
» conferre, vobis liceat eos ſine aliquâ
» contradictione recipere, dummodò
» propriâ culpâ excommunicati non fue-
» rint, vel nominatim interdicti. Confir-

mamus etiam vobis Eccleſias veſtras quaſcumque nunc poſſidetis, ſeu quas, largiente Deo, in poſterum canonicè poſſidebitis, ſtatuentes ut nullus Clericorum ſine aſſenſu veſtro in eis audeat miniſtrare : ſed quotieſcumque in aliquâ earum miniſter fuerit ſubrogandus, vos idoneum ad hoc eligentes Epiſcopo præſentate : qui Epiſcopus curam ei animarum injungat, & ſic vobis de temporalibus, Epiſcopo verò de ſpiritualibus debeat reſpondere. Si quis autem contra hanc formam in eiſdem Eccleſiis miniſtrare præſumpſerit, nos eum ab officii ſui exequutione ſuſpendimus. Clauſtro etiam in quo Monaſterium veſtrum ſitum eſt, eam libertatem & immunitatem concedimus, quam illuſtris Rex ROBERTUS noſcitur contuliſſe, ut ab omni invaſione & violentiâ Ducis & hominum ſuorum ſit in perpetuum liberum ac ſecurum, ita ut nichil prorſus à Torrente qui Caſtri, Sanctíque cauſam dividit,

» aliquis vel auferre præſumat vel acci-
» pere. Eccleſiam quoque Beati Germa-
» ni *de Laré*, ubi Sanctimoniales conſi-
» ſtunt, vobis perpetuò confirmamus poſ-
» ſidendam: & ut ipſæ Sanctimoniales
» nunquam à ſubjectione Eccleſiæ Divio-
» nenſis ſe removeant, ſub anathemate
» prohibemus; ſed ſemper per veſtram
» providentiam gubernentur. Decerni-
» mus itaque ut nulli omninò hominum
» liceat idem Monaſterium temerè per-
» turbare, aut ejus poſſeſſiones auferre,
» vel ablatas retinere, minuere, vel te-
» merariis vexationibus fatigare. Sed om-
» ninò integra conſerventur, eorum pro
» quorum ſuſtentatione ac gubernatione
» conceſſa ſunt, uſibus omnimodis pro-
» futura Si qua ſanè eccleſiaſtica, ſæ-
» cularíſve perſona hanc noſtræ conſti-
» tutionis paginam agnoſcens, contra eam
» temerè venire temptaverit, & ammo-
» nita ſemel & ſecundò ſi non congruâ
» ſatisfactione emendaverit, poteſtatis
» honoríſque ſui dignitate careat, reám-

que ſe divino judicio exiſtere de perpetratâ iniquitate cognoſcat : & à ſacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jesu Christi, quatinùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.

Ego Gregorius ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus. Data Laterani per manum *Johannis* S. R. Eccleſiæ Diaconi Cardinalis xiii. Kal. Julii. Anno ab Incarnatione Domini m. lxxviii. Indictione I. Pontificatûs autem Domni *Gregorii* PP. VII. quinto.

Bulla plumbea cum inſcriptione

† GREGORII PAPÆ VII.

V. Ludovico Seniori Regi prædicit mortem Philippi filii ejus primogeniti.

QUERELAM *Epiſcoporum adverſùs Regem Francorum Ludovicum Seniorem, patrem ejus qui nunc eſt, Ludovici, manifeſtè explicant epiſtolæ beati viri ad Apoſtolicam Sedem pro hoc ipſo directæ. Factum eſt autem, ut die quadam congregarentur ad Regem Epiſcopi, & vocatus ab eis Abbas Clarevallenſis, qui licèt adhuc juvenis, ſumma tamen totius Eccleſiæ columna jam tunc videbatur. Procidentes autem Epiſcopi ad pedes Regis, humiliter ſupplicabant ei, ut qui ſatìs antè dilexiſſet & honoraſſet Eccleſiam, parceret etiam in hac parte, ne fortè duriùs quàm vellent, contra eum agere cogerentur. At ille non ſatis eorum precibus acquievit. In craſtinum autem duriùs arguebat eum venerabilis Abbas, manifeſtè deminans quia offendiſti terribilem, & ei qui aufert ſpiritum Principum, ter-*

ribilem apud Reges terræ : & certus eſto quoniam offenſa hæc, primogeniti tui Philippi morte multabitur. Vidi enim nocte præteritâ, & ecce tu cum filio tuo Ludovico procidebas ad pedes Epiſcoporum : intellexi autem continuò moriente Philippo ſupplicaturum te eis, quòd non poſſis niſi per manus eorum ſubſtituere Ludovicum. Erat enim Philippus jam unctus in Regem, magnæ omnino ſpei adoleſcens, & patri (quod ex abundanti eſt dicere) omnino cariſſimus. Unde & audito ſermone commota ſunt viſcera patris ſuper filio ſuo. Et promiſit ſatisfacturum ſe Epiſcopis; ſed conſiliis ſeductus iniquis à promiſſione reſiliens, non poſt multum temporis, miſerabilem ſatis obitum filii ſui Philippi, ipſe & tota cum eo Francia deploravit.

VI. S. Bernardi epiſtolam ad Robertum nepotem, in pluviâ ſine pluviâ ſcriptam, Gaufridus ejus Notarius primam inter ejus epiſtolas conſtituit.

NEPOS *ejus Robertus quemadmodùm ſeductus fuerit, cùm adhuc puer eſſet, ipſius, de quâ loqui volumus, epiſtolæ verba declarant. Cùm enim in alio Ordine jam per aliquot annos demoraretur, ſcripſit ad eum epiſtolam, erroneam ovem revocans. Exiit autem extra Monaſterii ſepta, ut dictaret ſecretiùs: & Guillelmus (qui poſtea in Angliis Rievallenſem ædificavit Abbatiam) quæ dictabantur excipiens ſcribebat in chartâ. Subitò autem inundante pluviâ timuit qui ſcribebat; erant enim ſub divo. Cui venerabilis Abbas, Opus (inquit) Dei eſt: fac quod facis. Res mira! Madebant veſtes eorum, & ſcribebatur grandis epiſtola, & chartam omnino non tetigit imber. Extat adhuc epiſtola: & ego ipſe primam eam conſtitui in corpore epiſtola-*

rum, cùm audiſſem tam grande miraculum, ab ipſius ore qui ſcripſit eam in pluviâ ſine pluviâ.

VII. Duciſſæ Lotharingiæ ad vitam meliorem converſio duplex.

DUCISSA *Lotharingiæ (quæ nunc in Monaſterio Sanctimonialium feminarum quod Tartum vocatur, ſervit Deo in humilitate & paupertate multâ) cùm adhuc corporis voluptatibus ſupra modum dedita eſſet, contigit venerabilem virum pro pace quadam rogare Ducem pariter, atque ipſam. Dúmque loquens extenderet manum, caſu factum eſt, ut Duciſſæ chlamydem tangeret. Cui unus de adſtantibus arridens, Super religioſam (inquit) mulierem extendiſti manum, Pater. At ille, Nondum venit hora ejus. Audiens Duciſſa (ſiquidem litteras noverat) compuncta eſt vehementer, & uſque ad medullas animæ ejus ſermo vivus & efficax penetravit. Eodem quoque tempore ſomnium vidit, quo ampliùs*

animata eſt; Virum Dei ab ejus utero ſeptem ſerpentes horribiles manu propriâ extrahentem. Cui non longè pòſt committens animam ſuam, ſæculo abrenunciavit: & uſque hodie gloriatur ſe eſſe, de quâ Pater ſanctus ejecit ſeptem dæmonia.

Duas attingit Gaufridus Duciſſæ hujus converſiones: primam à regali pompâ, & ab aulæ deliciis, quibus innutrita erat, (quippe Lotharii Imperatoris ſoror, & Simonis eo nomine primi, Lotharingiæ Ducis Sereniſſimi conjux dilectiſſima) ad eam modeſtiam quam ferebat liberior ejus conditio, marito adhuc ſuperſtite: alteram à ſæculari licentiâ ad Tartenſium inſtituti Ciſtercienſis Monialium ſeveriſſimam diſciplinam. Priorem converſionem refert Manrique ad annum Chriſti 1133. Poſterior evenit anno, ut videtur, 1142. quo Matthæus ejus filius, Lotharingiæ Dux, matris viduæ receſſum in Tartenſe Monaſterium certis in

novam familiam beneficiis, ejus intuitu proſecutus eſt. Simonem enim Ducem in reditu à Terrâ Sanctâ, Venetiis anno 1141. finem vivendi feciſſe referunt Vaſſeburgius & Roſerius rerum Lotharingicarum Scriptores: qui tamen audiendi non ſunt, cùm hanc Duciſſam Gertrudem nuncupant, quæ *Adelais* ſcribitur in tabulis Tartenſibus: & ejus filiam Juditham appellant, Raynaldo Sequanicæ Burgundiæ Principi matrimonio junctam, quæ *Agatha* dicenda eſt, juxta autographas membranas, quas omni fide expreſſimus in Probationibus Epiſtolæ noſtræ de Beatrice Cabilonenſi Comitiſsâ, Divionenſibus typis editæ jam ex anno Chriſti 1656.

Has ipſas tabulas quibus Vaſſeburgius & Roſerius redarguuntur, ut Lotharingicæ Hiſtoriæ ſtudioſis ad manum ſint, hîc quoque tibi repræſentamus.

Matthæus Dux Lotharingiæ, intuitu Atheleidis matris ſuæ in Tarto Monialis effectæ, certam ſalis menſuram apud Vicum annis ſingulis percipiendam, Tartenſi Monaſterio attribuit: Berthâ ejus conjuge, fratre ejus Balduino, & Agathâ ſorore laudantibus, anno Chriſti 1142.

Ex autographo Tartenſi.

„ IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Lex ſpiritualis & carnalis exigit, ut pro amicis honeſta faciamus, præcipuè pro eis quos nexu conſanguinitatis & vinculo caritatis, artiùs poſt Deum diligere præcipimur & debemus. Apoſtoli ſententia hæc eſt: Qui ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior. Ego igitur MATTHÆUS, divinæ permiſſionis dono Lotharingorum Dux & Marchio, No-

tum facio omnibus tam poſteris quàm «
præſentibus, quoniam inſpirante gra- «
tiâ Spiritus ſancti, erga obſequium ve- «
nerabilis *Duciſſæ* ATHELEIDIS *ma-* «
tris meæ, præcordialem affectum inti- «
mæ dilectionis aſſumpſi; quæ muta- «
tione dexteræ Excelſi, pauper rebus & «
ſpiritu, ſanctæ converſationis propoſi- «
tum & habitum ſuſceperat in Eccleſiâ & «
Congregatione Tartenſi. Invitante ita- «
que gratiâ & compaſſione gratiſſimâ «
dulciſſimæ matris meæ; pro remedio «
animæ meæ, prædeceſſorúmque & ſuc- «
ceſſorum meorum ſalute; laude & con- «
ceſſione uxoris meæ BERTHÆ; con- «
ſenſu etiam, immò petitione *fratris* «
mei BALDUINI, & AGATHÆ *ſo-* «
roris meæ, v. ſeſſes apud Vicum, ELI- «
ZABETH Abbatiſſæ, & Sororibus Tar- «
tenſis Eccleſiæ, in perpetuum regula- «
riter promovendis, per manum vene- «
rabilis Stephani Metenſis Epiſcopi li- «
berrimâ donatione conceſſi. Eo vide- «
licèt tenore, ut illas abſque ullo reſpe- «

„ ctu, liberè & abſolutè perpetuò poſſi-
„ deant : & pro hac eleemoſynâ, tam
„ pro me, quàm pro animabus patris
„ mei & parentum meorum apud cle-
„ mentiam Dei devotiùs intercedant.
„ Hanc denique donationem, ad ſignum
„ & munitionem perpetui monimenti,
„ pontificali teſtamento, ſigillo, & ana-
„ themate decrevimus canonicè & legi-
„ timè roborari; ut nullâ deinceps vio-
„ lentiâ, nullâ ſucceſſorum noſtrorum
„ calumpniâ valeat inmutari. Utriuſque
„ etiam conditionis & ordinis, tam cle-
„ ricorum quàm laïcorum, idoneos ad-
„ hibuimus teſtes, ſub aſſignatione ſi-
„ gilli noſtri, tempore neceſſitatis reco-
„ gnoſcendæ veritatis promptiſſimos de-
„ fenſores. Teſtes autem hujus rei ſunt,
„ Walterus Magiſter & Archidiaconus,
„ Embertus Sacerdos *de Vico*, Giſleber-
„ tus *de Eſpinal*, Jordanus Medicus, Al-
„ bertus *de Romunt*, Gualterus de *Giſle-*
„ *berviler*, Raimbardus frater ejus, Odo-
„ winus *de Maylan*, Guelpho *de Meliſci*,

Raynerus *de Nancei*, Arnulfus *de Giſte-rencurt*, Urricus *de Arcu*, Drogo *de Nancei*. De familiâ Sancti Stephani, Gerardus *de Juſſey*, Guidricus frater ejus, Richardus *de Rinporth*, Albertus *de Ventosâ*, Albertus *de Siey*, Gualterus *de ultra Moſellam*, Teobaldus Pincerna, Bertrannus *de Caſtello*, Haymericus *de Viſinul*, Nicolaus *de Portuſâliæ*, Johannes *Botes de Vico*. De familiâ Ducis, Symon *de Parreiâ*, Gerardus Advocatus *de Brueris*, Guarnerus frater ejus, Guillelmus *de Archis*, Folmarus *de Muçuns*, Petrus *de Aleiâ*, Bertaldus *de Bithis*, Gualterus Præpoſitus *de Nancei*. Imperante feliciter *Conrado* Rege, *Innocentio* papante, indictione V. Epactâ XXII.

Fredericus Tullenſium Comes, & uxor ejus Hawidis, ratum habent anno Chriſti 1142. donum ſalis apud Vicum percipiendi, quod Monaſterio Tartenſi Matthæus Lotharingiæ Dux paulò antè conceſſerat.

Ex autographo Tartenſi.

„ IN nomine ſanctæ & individuæ Tri-
„ nitatis. Ego FREDERICUS Dei
„ annuente clementiâ Tullenſium Co-
„ mes indignus, & uxor mea HAWI-
„ DIS, providentes ſaluti animarum no-
„ ſtrarum, & exſpectantes remuneratio-
„ nem à Deo, Eccleſiæ Sanctæ Mariæ
„ Tartenſi, & venerabili Abbatiſſæ ELI-
„ ZABETH, & Sororibus ibi Deo fa-
„ mulantibus, liberâ traditione donavi-
„ mus v. ſeſſes apud Vicum, per ma-
„ num Comitis R. Barrenſis, & Odo-
„ nis *de Mollem*; priùs donatos eis à
„ MATTHÆO Duce, & BALDUINO
„ fratre ejus, & aſſenſu ſororis eorum
AGATHÆ.

Agathæ. Quia verò ſolent ple- «
rumque mundanarum poſſeſſionum «
traditiones, ſucceſſorum calumpniâ «
tranſmutari; ut caveri poſſit, utile «
duximus, ad poſterorum notitiam te- «
naciter commendari. Quapropter præ- «
dictam donationem, quia eam in por- «
tione noſtræ hereditatis ſuſcepimus, «
ſuſceptam liberè donavimus, ſigillo «
noſtro confirmavimus; adhibentes te- «
ſtes idoneos, quorum auctoritate res «
firmata & ſtabilita perpetuò maneat. «
Nomina autem eorum hæc ſunt. Ste- «
phanus majoris Eccleſiæ Decanus & «
Archidiaconus, Hugo *de Gundricurt* «
Archidiaconus, Albero, Bovo, Rai- «
naldus Comes Barrenſis, *Henricus* «
frater Comitis Frederici, Odo *de Mo-* «
lem, Falco *de Mandalis*, Hynfridus, «
Ulricus *de Domno Martino*. De civi- «
tate, Henricus Advocatus, Henricus «
de *Cacenval*, Fulco *de Sancto Vedaſto*. «
De familiâ Comitis, Walo *de Fonti-* «
niaco, & Wiardus frater ejus. Hoc «

» actum eſt anno ab Incarnatione Do- » mini M. C. XLII. Indictione V. Epa- » ctâ XXII.

Hugo Dux Burgundiæ teſtatur anno Chriſti 1142. quoſdam homines datos eſſe Monaſterio de Tart, præſente cum aliis Aylide inclytâ Lothoringorum Duciſſâ.

Ex autographo Tartenſi.

» QUONIAM quæ memoriter tene- » ri volunt, niſi ſcripto commen- » dentur, facilè oblivionis nubilo ſolent » obfuſcari, eapropter ego HUGO Dux » Burgundiæ Notum fieri volo tam præ- » ſentibus quàm futuris, quòd Stepha- » nus dominus *Faverniaci*, & *Wiardus* » atque *Savericus* fratres ejus, dederunt » in perpetuum pro remedio animæ ſuæ » atque ſuorum, Deo & Eccleſiæ Sanctæ » Mariæ *de Tardo*, atque Sanctimoniali- » bus ibidem Deo ſervientibus, *Landri-* » *cum de Faverniaco* & filios ejus, cum » manſo & appendiciis ejus, omníque te-

nemento eorum. Affuerunt hujus rei «
teſtes, *Joffridus Boſchoz*, *Theodericus* «
frater ejus, *Albericus* Preſbyter, *Ste-* «
phanus de Magneiaco, *Aymo*, *Bailla*, «
Vaſlinus, & multi alii: laude *Fulconis* «
de Mallé. Idem quoque *Stephanus* & «
Wiardus atque *Savericus*, dederunt in «
perpetuum ipſis Sanctimonialibus *Gui-* «
donem Groſſumdenarium de Pluveio, «
cum omnibus heredibus ejus, & cum «
manſo, & omni tenemento ejus: aſſi- «
ſtentibus teſtibus, *Humberto de Wu-* «
cheio, *Guidone Eſchot*, *Guidone de Ver-* «
neto, *Brutino de Pluviaco*, & pluribus «
aliis. Dederunt etiam eidem fratres, «
prædictæ Eccleſiæ *de Tardo* & ſanctis «
Monialibus, apud *Marcenniacum Mau-* «
ricium Regem, *Odonem & Henricum*, «
fratres ejus, cum manſis & appendi- «
ciis, vineis & aliis terris, omníque te- «
nemento eorum. Hæc autem omnia «
dona ſupradicti fratres feciſſe recogno- «
verunt in præſentiâ meâ, pro remedio «
animæ ſuæ, omniúmque prædeceſſo- «

» rum ſuorum, atque ſigilli mei teſtimo-
» nio confirmari poſtulaverunt : aſſiſten-
» tibus teſtibus, HELISABETH Abba-
» tiſsâ, MARIA Prioriſsâ, AYLIDE
» inclytâ Lothoringorum Duciſsâ, *Ro-*
» *dulfo* Capellano, *Stephano Capellano de*
» *Genlé, Eſchot* de *Pluviaco, Aymone Ru-*
» *fo* de Divione, *Willermo de Marrigneio.*
» Actum eſt hoc, anno ab Incarnatione
» Domini M. C. XLII. Indictione V. Epa-
» ctâ XXII.

Locus ſigilli, de taniâ pergaminâ ſuſpenſi.

Agatha Lotharingiæ Ducis filia, Raynaldi Burgundiæ Comitis conjux, 1148. *Indictione* X. *Epactâ* XVII. *Concurrente* 2.

Ex autographo Eccleſiæ Biſontinæ.

» IN nomine Sanctæ & individuæ
» Trinitatis, RAYNALDUS *Burgun-*
» *diæ Comes.* Mos & conſuetudo Prin-

cipum, videlicet anteceſſorum noſtro- «
rum, talis ſemper extitit, ut loca San- «
ctorum ob æternæ remunerationem «
beatitudinis ſublimarent, & donis mul- «
tiplicibus honorarent. Horum ergo «
morem ſequentes, libuit nobis Biſun- «
tinam beati Protomartyris Stephani Ec- «
cleſiam, ob amorem cæleſtis patriæ, & «
ejuſdem Eccleſiæ venerabilis Decani «
Petri, nobis valdè dilecti, benè meritum «
famulatum, ex rebus noſtræ proprieta- «
tis æternaliter honorare, atque mune- «
rari. Comperiat igitur univerſitas fide- «
lium, quoniam ut nobis, & anteceſſo- «
ribus noſtris ibidem quieſcentibus, po- «
tiſſimum lucri præmium, à remunera- «
tore bonorum omnium Deo, in die «
tremendi examinis proferatur; quic- «
quid terrarum, vel poſſeſſionum, quæ «
à nobis tenentur, eadem beati Proto- «
martyris Eccleſia à feodariis noſtris ha- «
ctenùs adquiſivit, vel in futurum qui- «
buſlibet modis adquirere poterit; lau- «
de, & conſenſu fratris noſtri Guil- «

„ LERMI Comitis, & dulciſſimæ collate-
„ ralis noſtræ AGATHÆ, *Lotharingiæ*
„ *Ducis filiæ*, ei liberè conceſſimus. Præ-
„ tereà verò huic paginæ operæ pretium
„ duximus inſerere, quòd memoratus
„ Decanus magnâ precum inſtantiâ nos
„ rogaverit, ut uſualem illam hoſpitii
„ ſuſceptionem, quam in villâ Sancti
„ Stephani, quæ dicitur *Tercennays*, ha-
„ bemus; & exactionem, quam à piſca-
„ toribus ejuſdem Protomartyris, in villâ,
„ quæ *Parliſia* nuncupatur, ſitis, nos, &
„ miniſtri noſtri facere ſolebamus, præ-
„ fatæ Eccleſiæ concedentes, in pace di-
„ mitteremus. Cujus petitionem non tan-
„ tùm honeſtam, quantùm nobis utilem
„ conſiderantes, nefas eſſe putavimus, ſi
„ ei pro voto ſuo non ſatisfecerimus.
„ Conceſſimus itaque per hanc noſtræ
„ donationis paginam, præfatæ ſancti
„ Protomartyris, patroni noſtri, Eccle-
„ ſiæ, quam in jam dictâ villâ de *Tercen-*
„ *nay*, habere videbamur conſuetudi-
„ nem: quæ à piſcatoribus de Parliſiâ

juſtè vel injuſtè, cenſus, & piſcium «
exigi conſueverat, exactionem. Roga- «
múſque ſucceſſores noſtros, ut quod «
pro remedio noſtro fecimus, ſervent «
illibatum; quemadmodùm quod pro «
animabus ſuis fecerint liberandis, ma- «
nere voluerint firmum. Ut autem hoc «
noſtræ donationis ſcriptum, firmius in «
poſterum robur obtineat, ſigilli noſtri «
impreſſione illud inſigniri juſſimus, & «
teſtes, qui adfuerunt, ſubſcribi. *Gerar-* «
dus ſcilicet, & *Egidius*, Jeroſolimita- «
ni Templi Milites: *Wido* Abbas de «
Durnac: & *Raynaldus* Comeſtabilis, & «
multi alii. Actum anno dominicæ In- «
carnationis M. C. XLVIII. Indictione X. «
Epactâ XVII. Concurrente II. felici- «
ter. Amen. «

Sigillum chartæ pergamenæ affixum, quod propter paginæ anguſtias in ſequens folium rejecimus.



Refert Chryſoſtomus Henriquez in Faſciculo Sanctorum Ordinis Ciſterciensis, lib. 1. diſt. 4. cap. 44. Duciſſæ hujus quamdam Epiſtolam, datam ad S. Bernardum, quam ille accepit in ex-

tremis conſtitutus, biduo antè quàm animam efflaret. Cui nihil reſpondens, dixit nuncio, ſe illi reſponſurum in ſpiritu. Unde in ultimâ agoniâ illi apparuit, prædixitque brevi illam ſe ſecuturam. Illa verò poſt tres hebdomadas Magiſtrum ſuum ſecuta eſt. Hic exitus ſancti Magiſtri, & ſanctæ diſcipulæ. Fiant noviſſima noſtra horum ſimilia. Duciſſæ Epiſtolam illam deſcribit Henriquez ex Hiſtoriâ Lotharingiæ Monſtreleti, & ex Chronicis Bernardi Brittonis tom. 1. lib. 3. cap. 28.

VIII. Reginæ Alienordi S. Bernardus promittit obtinetque à Deo prolem.

E*T præcipuus hujus incentor odii* (inter Regem Ludovicum Juniorem, & Campaniæ Comitem Theobaldum) *Comes Viromandenſium fuit, Radulfus de Peroniâ, ſororem Reginæ tenens, dimiſſâ quadam affini Comitis Theobaldi. Factum eſt in feſtivitate beati Dionyſii, Regina Alienordis in Eccleſiâ ip-*

ſius Martyris cum Patre noſtro loquebatur, conquerens quòd concluſiſſet Dominus vulvam ejus, ne pareret: jam enim annis ferè novem vixerat cum Rege, & à primis quidem annis conceperat, ſed fecerat abortivum, & exinde ſterilis permanebat, jam de fecunditate deſperans. Cui miſerabiliter conquerenti Pater Venerabilis ait: Sollicitè quære quæ ad pacem ſunt, & ego tibi, confiſus de divinâ miſeratione, partum promitto. Hoc & ipſe Rex per Reginæ verbum cognoſcens, ubi perfecta eſt reconciliatio, ſecretiùs alloquens beatum virum, quod Regina promiſerat, exigebat, &c. Ipſo denique anno Regina concepit, & peperit.

IX. Converſio Gaufridi ipſius, & aliorum de Scholâ Pariſienſi.

CONTIGIT *aliquando Virum Dei pro quibuſdam negotiis ad partes Galliæ proficiſci: cúmque in itinere & in reditu Scholaribus Pariſienſibus (ut ſolebat) feciſſet de converſione ſermonem,*

veſpere cœpit contriſtari & mæſtus eſſe, dicens Deo in orationibus ſuis, quia timeo omnino ne fortè oblitus ſis mei, cùm præter morem, infructuoſum penitùs factum ſit iter meum, & neque de his propter quæ veneram, aliquid obtinuerim, nec apud Clericos iſtos in verbo tuo apertum ſit mihi oſtium ullum. In ipsâ enim horâ ita conſolatus eſt eum Deus, ut manifeſtè præſcierit, & prædixerit, quia nequaquàm vacuus hinc abibo. Sit benedicta dies illa à Domino, quâ ſedenti in tenebris & in umbrâ mortis lux orta eſt mihi. Sit benedicta dies quâ Sol juſtitiæ, immò miſericordiæ, oriens viſitavit ex alto miſeram animam meam: adverſum & perverſum nimis hominem, in verbo uno, in momento, in ictu oculi, inæſtimabili mutatione dexteræ Excelſi, prorſus in alium hominem recreans, ut ſim initium aliquod creaturæ ejus. In æternum non obliviſcar miſerationis hujus, quâ tam copiosè præventus, tam ſubitò mutatus, multorum ſuper me animos obſtu-

peſcere feci. Multi verò in illâ capturâ dominicis retibus irretiti ſunt piſces, multi & in itinere adjuncti nobis; ità ut tranſacto probationis anno, ex hoc Collegio Monachi facti ſimus viginti & unus. Eodem ſanè tirocinii noſtri tempore, abſente aliquando Patre noſtro, cœpi corpore infirmari, & affligi mente. Scio quia Satanas expetivit me, ut cribraret ſicut triticum: ſed non latuere Patrem quæ circa me agebantur: & perfectè omnia cognoſcens per ſpiritum, quæ verſabantur in corde meo, (ſicut poſt reditum ejus comperi) oravit pro me ne deficeret ſides mea. Ibi, ibi, ſuprà quàm eſſem, impreſſiſti me mirabiliter cordi ejus, Domine Deus meus. Gratias tibi, Domine, gratias tibi. Unde enim tali animæ in tali pectore talis locus? Simile quiddam ſibi Venerabilis Albericus, qui hodie Abbas eſt in loco, cui nomen eſt Benedictio Dei, de ſe, cùm novitius eſſet, accidiſſe teſtatur.

X. Mors Guidonis, fratris ejus primogeniti, in Pontiniaco, nocte feſti Omnium Sanctorum.

SEnior *frater ejus Guido, dum cum eo à Bituricenſi territorio redit (novam quippe illuc deduxerat Abbatiam) febre acutâ correptus, diebus paucis Pontiniaci infirmatus eſt: & ipsâ nocte quâ Sanctorum Omnium feſtivitas agebatur, felici eorum conſortio meruit aggregari.*

Manrique in Annalibus Ciſtercienſibus, ad annum 1136. Guidonem S. Bernardi fratrem primogenitum obiiſſe dicit Pontiniaci: & eodem anno meminit deductæ Abbatiæ Nigrilacus in territorio Bituricenſi; de die obitûs tacet. Herbertus Turritanus Archiepiſcopus à nobis editus, in S. Bernardi genere illuſtri, libro 2. de Miraculis, cap. xi. Cùm, inquit, S. Bernardus « audiſſet aliquando, quemdam de filiis «

» ſuis ſpiritualibus, virum bonum & re-
» ligioſum, miſſum ab eo in Norman-
» niam, deſperatâ ibi ægritudine laboran-
» tem, decrevit mittere, & reducere
» eum ad ſe, ut devotus frater in nidulo
» ſuo moreretur, & deſideratâ ſibi ſepul-
» turâ non privaretur. Verumtamen qui-
» dam de fratribus ejus carnalibus, no-
» mine GUIDO, nitebatur huic obviare
» conſilio; quia cùm eſſet unus de pro-
» viſoribus Claravallis, intendebat (ut
» credo) parcere ſumptui & labori. Qui
» cùm pertinaciter hujuſmodi diſſuaſioni
» inſiſteret, dixit ad eum beatus Bernar-
» dus: Numquid major eſt tibi cura de
» pecuniâ vel jumentis, quàm de fratri-
» bus tuis? Quia ergo non vis ut fratres
» noſtri nobiſcum requieſcant in valle
» iſtâ, nec tu ipſe requieſces in eâ. Et
» factum eſt ità: nam iſdem Guido, quan-
» quam aliàs vir bonus & religioſus fo-
» ret, tamen ut ſermo Sancti impleretur,
» non eſt conſummatus in Claravalle;
» ſed apud Pontiniacum prævenтus ægri-

tudine lecto decubuit, ibique diſpo- «
nente Deo & terminum vitæ, & ſe- «
pulturæ locum accepit. *Hactenus* «
Herbertus.

Chryſoſtomus Henriquez in Menologio Ciſtercienſi Guidonem ait morte præventum Pontiniaci quinto Idus Maii. Dignior fide Gaufridus, qui Kalendis Novembris, nempe in feſto Omnium Sanctorum, Guidonem diſertè aſſerit, illorum fuiſſe conſortio aggregatum. Sed typographi craſſo errore, in eodem Menologio ad nonam diem Decembris hæc habentur: *Nam de Guidone in ipſa Divi Patris hiſtoriâ legitur, illum in Firmitate vitam finiviſſe, & ibidem ſecundùm Bernardi prophetiam locum ſepulturæ accepiſſe.* Lege, *infirmitate detentum Pontiniaci vitam finiviſſe, &c.* Ipſe Henriquez ad XI. diem Maii; *Cùm Pontiniaci ultimum ageret ſpiritum idem Guido, & tunc in Claravalle exiſteret ſanctus Bernardus, convocatis Monachis ſuis, Guidonis obi-*

tum jam inſtare indicavit: & poſt paululum ſereno vultu & placido ore dixit: Fratres, rogate Guidonem ut oret pro nobis; jam enim id poteſt, & eo loco eſt ut poſſit. *Et poſt mortem non ſemel viſus eſt in magna gloria.*

APPENDIX.

APPENDIX

De Concilio Niumagenſi anni DCCCXXI.

ILLUSTRIS eſt mentio BERNUINI ad annum Chriſti 821. in Concilio & in Conventu Niumagenſi; & eò notabilior, quòd Conventum & Concilium nobis aperit, hactenus apud omnes ſeu Capitulorum, ſeu Synodorum collectores deſideratum. Locus hujus Conventus fuit *Niumaga* ſeu *Noviomagum*, nunc Geldriæ urbs primaria, in Bataviâ veteri, ad Vahalim fluvium, haud procul Moſâ & Rheno. Noviomagum enim quadruplex diſtinguit Hadrianus Valeſius vir doctus, in ſuâ Notitiâ Galliarum. Primum Noviomagum Trevirenſe, haud procul Trevi-

ris, in Auſonii Moſellâ memoratum: *Nivomagum divi caſtra inclyta Conſtantini.* 2. Noviomagum Veromanduorum, *Noyon en Picardie.* 3. Noviomagum Nemetum, vulgò *Spira.* 4. de quo agimus, Noviomagum in inſulâ Batavorum ſtrictè ſumptâ: quo in oppido ſancita eſt pax inter Principes Chriſtianos, anno quo hæc ſcribimus 1679. & Caroli II. Hiſpaniarum Regis cum Ludoviſiâ Mariâ, Ludovici XIV. Francorum verè Magni Regis, fratris filiâ, ſollemnibus nuptiis confirmata.

Hujus Conventus meminère Eginhardi Annales, & iiſdem verbis Annales Bertiniani ad annum Chriſti 821. „ Iterúmque Conventus menſe Maio „ Noviomagi habendus condictus eſt, „ Comitéſque qui illuc venirent, deputati. Eo anno domnus Imperator poſt „ feſti Paſchalis expletionem per Moſam „ navigavit: ibíque conſtitutam annis „ ſuperioribus, atque conſcriptam inter

ſilios ſuos regni partitionem recenſuit, «
ac juramentis optimatum qui tunc adeſ- «
ſe poterant, confirmavit. Suſceptiſque «
ibidem Paſchalis Romani Pontificis «
Legatis, Petro videlicet Centumcel- «
lenſi Epiſcopo, & Leone Nomencla- «
tore, eiſdémque celeriter abſolutis, «
Comitibus etiam qui aderant, ad ex- «
peditionem Pannonicam deſtinatis, ipſe «
paululùm ibi remoratus, Aquiſgrani «
reverſus eſt. Et poſt paucos dies per «
Arduennam iter faciens, Treveros ac «
Metis venit: indéque Rumerici caſtel- «
lum petens, reliquum æſtivi caloris, «
& autumni dimidium exercitatione ve- «
natoriâ in Vogeſi ſaltu atque ſecretis «
exegit. «

Objicere aliquis poſſit: Dicit Eginhardus indictum fuiſſe Conventum Noviomagi Batavorum ad menſem Maium anni 821. ſed non dicit fuiſſe ibidem celebratum. Reſpondeo: Non apertè id dicit, ſed intelligendum ſignificat. Clarè autem id affirmant Annales Ful-

denſes, in quibus leges anno illo 821. *H Ludovicus Imperator Noviomagi diviſionem regni fecit.* Ne autem dubites quin tunc quoque ibidem congregati fuerint *ſanctarum Eccleſiarum Rectores, Epiſcopi videlicet atque Abbates*, accipe ex Eccleſiæ Biſontinæ antiquis monumentis, diploma Ludovici Pii Imperatoris ſuper miniſtrorum Eccleſiæ honeſtate procurandâ, datum ex Niumaga, anno Imperii ſui VIII. Indictione XIV. (anno ſcilicet Chriſti 821.) ad *Bernowinum Criſopolitanæ Eccleſiæ Archiepiſcopum.*

Præceſſerat in veteri codice, Eccleſiæ Veſontionenſis libellus ſupplex, Ludovico Regi atque Imperatori offerendus, pro libertate obtinendâ cujuſdam ſervi apud ſe enutriti, ac per omnes miniſterii ſui gradus probati. Ad quem reſpondet Ludovicus plus etiam quàm poſcebatur indulgens. Nimirum Bernowino Criſopolitanæ Eccleſiæ Archiepiſcopo, ejúſque Suffraganeis po-

teſtatem faciens, Eccleſiarum ſuarum ſervos poſthac libertate donandi, certis obſervatis conditionibus ac formulis in regiâ conſtitutione expreſſis; ut in poſterum ſuæ Majeſtatis tribunal adire pro ejuſmodi manumiſſionibus neceſſe non haberent.

Libellus Eccleſiæ Veſontionenſis.

« DOMINO inviċtiſſimo Auguſto HLUDOWICO Cæſari ſancta Veſontionenſis Eccleſia præſentem, perpetuámque inceſſanter felicitatem devotiſſimis ſemper exorat precibus.

« Ad notitiam Celſitudinis veſtræ perferre nos eccleſiaſtica provocat neceſſitas, de promotione famuli iſtius, ex loco juris noſtri nuncupante, de miniſterio hic, vel beneficio illius, vel illius: cujus gratiâ eruditus, & inter noſtræ parvitatis ſtudia, ſcientiâ, vitâ, ac moribus pro modulo quantitatis, qualitatiſque inſtructus, per gradus ſingulos ad limen uſque, à Subdiaco-

„ nibus certâ probatione examinando
„ perductus, jam munus clementiæ ve-
„ ſtræ datum, nobiſque ſignificatum ejus
„ de libertate, exſpectantes, ulteriùs eum
„ promovere, veſtræ Majeſtatis *laude &*
„ *mandato* parati ſumus, mox ut ſtatu-
„ tam de eo veſtram canonicâ *auctorita-*
„ *te* ſenſerimus licentiam. Deus cæli &
„ terræ, univerſæ...... ad tutelam vos
„ ſemper protegat chriſtianam; ita ut hoc
„ ævo veſtro ſibi ſuperexaltatam in om-
„ nibus ſanctæ matris Eccleſiæ ſentiat
„ cauſam.

His junctæ erant in membranis ve-
tuſtate penè conſumptis, formulæ, qui-
bus manumiſſiones in libellis concipi
jubebantur Ludovici Imperatoris man-
datò; ex quibus vix legi poſſunt quæ
„ ſequuntur: Igitur ego in Dei nomine
„ ill. Epiſcopus illius urbis, vel Abbas,
„ vel Abbatiſſa, te cui nomen ill. ex familiâ
„ illâ, Monaſterio illo, &c. conſtituo
„ ante ſacri altaris cornu, in conſpectu
„ populi adſtantis; ut à præſenti die &

deinceps *omni ſervitutis jugo* ſolutus „
ſis: CIVEMQUE TE ROMANUM „
eſſe inſtituo; *ut in tuo* jure & poteſta- „
te conſiſtens vivas ingenuus, & cetera
quæ legi non poterant; ſed poſſunt
utcumque ſuppleri ex Gregorii Magni
libro v. Regiſtri epiſtolâ xv. ex Mar-
culfo, ex antiquis Gloſſariis Latinis &
Græcis; quorum ex uno regiæ Biblio-
thecæ pervetuſto refert Briſſonius li-
bro octavo formulam hanc: Βινδίκτα, ἡ
ῥάβδος, μεθ' ἧς ὁ Ἄρχων, ἢ ὁ Πραίτωρ, τὴν
τοῦ ἐλευθερουμένου κεφαλὴν ἔπαιον, φάσ-
κοντες· φαμὲν τὸν παρόντα ἄνθρωπον εἶναι
ἐλεύθερον, καὶ πολίτην Ῥωμαῖον. *Vindi-
cta, virga, quâ Princeps, aut Prætor,
libertate donandi caput percutiebant dicen-
tes: Præſentem hominem, liberum eſſe
dicimus, & Civem Romanum.* Sic verò
ſe habet conſtitutio Ludovici Impera-
toris, in quâ pauca verba quibus ali-
quot lacunas ex conjecturâ explevi-
mus, oblongo, ſive Italico charactere
repræſentavimus.

HLUDOWICI *Pii Imperatoris Conſtitutio de libertate ſervorum Eccleſiæ.*

„ IN nomine Dei & Salvatoris noſtri
„ IESU CHRISTI, HLUDOWI-
„ CUS divinâ ordinante providentiâ Im-
„ perator Auguſtus, Venerabili in Chri-
„ ſto BERNOWINO Criſopolitanæ Ec-
„ cleſiæ Archiepiſcopo. Neminem *in*
„ *univerſo genere* humano tam pravi judi-
„ cii inveniri poſſe arbitramur, & *cui*
„ *animi ſui tam parum* conſtet integri-
„ tas, qui interrogatus utrùm rem ſuam
„ *familiarem ac domeſtica* officia per ho-
„ neſtos, & munditiâ & ornatu præ*di-*
„ *tos, potiùs quàm per viles* perſonas tra-
„ ctari atque adminiſtrare velit, *non pau-*
„ *corum ſenſui vocem multi*tudinis cenſeat
„ præferendam; ſeque malle *famulis ca-*
„ *rere, quàm non nitidum ac* decorum ſibi
„ ſervitium exhiberi. *Quòd ſi ita ſumus*
„ *diſpoſiti* ut adminiſtrationem rei noſtræ
„ *familiaris miniſtris honeſtis ac decentibus*
„ procurare velimus, quid de *eccleſiaſtico*

divinóque officio cenſendum, per quod «
Deus homini *naturæ noſtræ participatione con*nexus, meditatione precum, & «
ſacri*ficiorum oblatione placa*tur? Nónne «
non ſolùm per mundos, *ſed etiam per omnium virtutum, ac totius* honeſtatis «
perſonas debet procurari? Præſertim «
cùm ipſe Deus in lege ſuâ Moyſen famulum ſuum de ſui cultûs officio inſtruens diſciplinis; qui ad altare munus «
inferret, omni corporis vitio carentem «
eligere præcepit, dicens: Loquere ad «
Aaron: Homo de ſemine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo ſuo, nec accedet ad «
miniſterium ejus, ſi cæcus fuerit, ſi «
claudus, ſi vel parvo, vel grandi, & «
torto naſo; ſi fracto pede, ſi manu, ſi «
gibbus, ſi lippus, & cætera quæ in Levitico leguntur.] Quapropter & nos, «
ob amorem & honorem Dei ac Domini noſtri JESU-CHRISTI, & ob «
exaltationem ſanctæ matris noſtræ catholicæ Eccleſiæ, quæ eſt corpus ejus, «

Levit. 21. *v.* 17.

„ in quâ & nos membra ipſius per bona
„ opera effici cupimus, conſuetudinem
„ pravam & valde reprehenſibilem, quâ
„ uſque in præſens, viles quæque & ſer-
„ vili conditione obligatæ perſonæ ad
„ preſbyteratûs ordinem paſſim admit-
„ tebantur, abolere cupientes, congre-
Concilium Niumagenſe. „ gatis undique ſanctarum Eccleſiarum
„ Rectoribus, Epiſcopis videlicet, & Ab-
„ batibus, & adunato ſollemniter populi
„ noſtri conventu, compertáque omnium
„ ſuper hujuſcemodi negotio voluntate,
„ adnuente atque conſentiente, & (quod
„ his majus eſt) etiam petente ſacroſan-
„ cti Concilii devotâ atque concordi una-
„ nimitate, ſtatuimus atque decrevimus,
„ ut abhinc in futurum, nulla vilis &
„ ſervili conditione obnoxia perſona ad
„ gradum preſbyterii adſpirare permitta-
„ tur. Sed ſi neceſſitas exegerit ut de ſer-
„ vitiis, vel noſtris vel alienis, ad hunc
„ ordinem aliquis admitti debeat, jugo
„ ſervitutis priùs ſollemniter abſolutus
ſic tandem manûs impoſitionem liber

accipiat. Proinde has noſtræ imperialis «
& regiæ auctoritatis litteras tuæ Sancti- «
tati dandas decrevimus ; per quas tibi «
& ſucceſſoribus tuis , necnon & Suffra- «
ganeis talem conceſſam noveris pote- «
ſtatem , ut ſervus eccleſiaſticus , tam de «
tuâ , quàm eorum parrochiâ , necnon & «
de jure Monaſteriorum quæ in tuâ ſeu «
illorum diœceſi conſtituta ſunt, ad pre- «
ſbyteratûs ordinem , coram Clero & «
plebe, præſente & conſentiente eo, cu- «
jus dominatui idem ſervus uſque in id «
temporis erat addictus , per te vel per «
illos à jugo ſervitutis abſolvatur , & «
perpetuò liber efficiatur. Modus au- «
tem abſolutionis & manumiſſionis illius «
talis eſſe debet. Scribatur libellus per- «
fectæ & abſolutæ ingenuitatis, more «
quo hactenus hujuſmodi libelli ſcribi «
ſolent, CIVEM ROMANUM liberæ po- «
teſtatis continens : & in fine libelli, tam «
eorum qui in tuâ parrochiâ ſunt Sacer- «
dotum, quàm illorum quos dominus «
ſervi ſecum adduxerit, teſtimonia, cau- «

„ ſa, nomina deſcribantur. Habeatur in
„ eo & nomen loci, habeatur menſis, &
„ diei, & anni regni noſtri, & Indictio-
„ nis, ut nullus cum legentibus ambi-
„ guitatis ſcrupulus remaneat: qui libel-
„ lus ei qui manumittendus eſt, vel à te,
„ ſi Eccleſiæ tuæ fuerit ſervus, vel à le-
„ gitimo domino in tuâ præſentiâ detur:
„ & tunc demum ad ſacri ordinis ſuſce-
„ ptionem eccleſiaſticâ conſuetudine per-
„ veniat. Simili modo Suffraganei tui in
„ hujuſmodi perſonis liberis dimittendis,
„ in ſuis Eccleſiis faciant, quia eamdem
„ illos per hoc noſtræ auctoritatis præce-
„ ptum, adhoc faciendum volumus habere
„ poteſtatem. Benè vale, & ora pro nobis.
„ Abſoluta eſt à nobis in Dei nomine,
„ anno (Chriſto propitio) Imperii noſtri
„ VIII. Indictione XIV. Ex Niumagâ

Quod reliquum eſt, quia reſcriptum hoc Cæſareum, ad ſolum dirigitur Bernwinum Veſontionenſem Archiepiſcopum, videri hîc poteſt Niumagenſi huic Concilio quodammodò præſediſſe.

Si quæris quot à Ludovico Pio deſignentur Bernowini Archiepiſcopi Veſontionenſis Suffraganei : aio quatuor, Lauſannenſem, Baſileenſem, & Bellicenſem omnibus notos, & quartum Nividunenſem nobis perſpectum ex vetuſto Pontificali Metropolitanæ Eccleſiæ Biſontinæ, ſub titulo : « ORDO IN CONSECRATIONE EPISCOPI. « Poſtquàm novus Epiſcopus « Miſſam finierit, invitet eum Cancella- « rius ex parte Archiepiſcopi ad men- « ſam, ſimiliter & alios Epiſcopos qui « interfuerint conſecrationi. Hoc ordine « ſedeant. Ad dexteram domni Archie- « piſcopi, LAUSANNENSIS, quia uti- « tur Pallio, & per ejus manus conſe- « cratur Archiepiſcopus : tum BELI- « CIENSIS. Ad lævam verò BASI- « LIENSIS. Poſt eum NIVIDUNEN- « SIS. Plura nos de epiſcopatu Nividunenſi in Sacrario Jurenſi, quod primo quoque die, faventibus Superis, prælo commiſſuri ſumus.

INDEX.

A

ADELAIDIS Duciſſæ Lotharingiæ converſio. 201. 212. Scribit ad S. Bernardum morti proximum, qui ei apparet, ipſa verò tribus pòſt hebdomadis moritur. 216. 217
Ademari Pictavenſes. 120. 158
Agatha Lotharinga, Raynaldi Comitis Burgundiæ uxor. 203. 205. 209. 214
Α'γών, multitudo. 23
Alexander Papa. 31
Alienordis Regina. 115. 117
Ammianus Marcellinus. 9
Anacletus Papa. 32
Anaſtaſius. 4
Andilegum Monaſterium. 86
Angelorum novem ordines diſtinguere nos docuit S. Dionyſius. 44
Annales Eginhardi, Bertiniani, Fuldenſes. 226. 228
Antiquum & recens, novum & vetus dicuntur reſpectivè. 58
Aquila cum Priſcillâ conjuge. 29
Aremburgis Hugonis II. Burgundiæ Ducis filia velata in Lareyo. 175
Arturus de Monſtier. 66
Auguſtinus. 28
Avitus Viennenſis. 5. 6
Aymarus Falco. 108

B

BALDUINUS frater Matthæi Lotharingiæ Ducis. 205. 208

Baronius. 27
Beda. 34. 85
Bellarminus. 32
Bernardus Britto. 27
S. Bernardus Aiecnordi Reginæ promittit partum felicem, ſi paci ſtudeat. 217. Epiſtolam ſcribit in imbre ſine imbre. 168. 202
Bernuinus Criſopolitanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus. 233
Bertha uxor Matthæi Ducis Lotharingiæ. 205
Bigé. 85
Bruſchius. 87

C

CALE. 85
Carolus le Cointe. 66
Caſſiodorus. 28
Cedrenus ibid.
Chriſti nativitas Bernardo puero per viſum oſtenſa. 172
Chronicon Alexandrinum. 9
S. Chryſoſtomus. 27
Chryſoſtomus Henriquez. 216.] ejus locus inſignis à librariis corruptus reſtituitur. 223
Claudii Imp. anno x. converſus eſt ad Chriſti fidem S Dionyſius Paulo Athenis prædicante. 28. 29
Clementis Papæ Pontificatus ratio explicatur. 31
Cleti Pontificatus 33
Clodoveus Rex quâ die baptizatus. 5. 6
Concilium Noviomagi Batavorum anno Chriſti 821. celebratum. 234
Crotonienſes Calabriæ populi Dionyſium Areopagitam Apoſtolum ſuum agnoſcunt. 4
Curopalates. 25

D

DAMASUS Papa. 32
Delrio. 41

Deſguerroiſius. 87
S. Dionyſii effigiem in vexillis Eccleſiæ ſuæ præferunt Crotonienſes Calabriæ populi. 4
Dionyſii curſus evangelicus ad Pauli Apoſtoli curſum duplus. 27. Ætas tota. 29. Obitus ſub Hadriano Imp. 30. Multa paſſus ſub Domitiano, 31. Miſſio ejus in Gallias per Clementem Papam. 31
Dionyſio vindicantur opera ſua. 40. & ſeq.
Dionyſius non eſt impoſtor, quare illi de ſe loquenti credendum eſt. 43
Domnæ. 75

E

Ecclesia Catholica, Orientalis & Occidentalis Pariſienſem Areopagitam agnoſcit. 4
Eliſabeth dicta Gaufrido S. Bernardi mater. 170
Eliſabeth Tartenſis Abbatiſſâ. 208. 212
Eucherius. 34

F

Fara S. Faronis ſoror. 8
Ferdinandus Uguellus. 4
Franciſcus Suarez. 51
Franciſcus Turrianus. 35
Fridericus I. Imp. 118. 119
Fridericus Comes Tullenſis. 208

G

Gabriel Bucelinus. 80
Gaſpar de Coliniaco calculis levatus à ſanctâ Syriâ, catholicus fuit, & diverſus à cognato cognomine hæretico. 88
Gaufridus è Scholâ Pariſienſi ad S. Bernardi diſciplinam tranſit, 118. poſteà ejus Notarius. 162
Gerento ſive Jarento Abbas S. Benigni. 192
Grancciani Dynaſtæ S. Bernardi conſanguinei 171
Gregorius Magnus. 42

Gregorius Papa VII. dat privilegium Benignianis. 192

Guidonis relicta, Lariacenſi Parthenoni præfecta. 175

Guido S. Bernardi frater primogenitus moritur Pontiniaci ex ejus prædictione, vir alioqui ſanctus. 221

Guillelmus Canonicus Gratianopolitanus. 122

H

HAVVINDIS uxor Friderici Comitis Tullenſis. 208

Hector Boethius. 71. 86

Henrico Andegavenſi Regina Alienordis ſecundis nuptiis copulata. 118

Henricus Delphinus, & Carolus Dux Aurelianenſis, Franciſci I. Regis filii. 92

Henricus Valeſius. 9

Henſchenius. 28

Hermentrudius Pictavenſis fabuloſus. 109

Hieronymus. 11. 32

Hierotheus non eſt fabuloſus. 44

Hincmarus Remenſis Dionyſii Areopagitæ Pariſienſis aſſertor. 4. Explicatur de die baptizati Clodovei Regis. 5. 6

Hugo ex Epiſcopo Gratianopolitano Archiepiſcopus Viennenſis. 127

Hugo de S. Victore. 34

Hugo II. Dux Burgundiæ. 175. 210

I

IDACII locus de Valentiniano Valentis filio, à Sirmondo corruptus. 8. 9. 28

Joannes Beſly. 108

Joannes Columbi. 111

Joannes Leſlæus. 71. 86

Joannis III. Papæ Epiſtola. 32

Q

Joſcelinus qui S. Antonii corpus in Gallias intulit, filius Guillelmi Cornuti. 108
Irenæus. 34
Juſtellus. 110

L.

LANSSELIUS. 41
Larcium, ſive Lariacum, aut Elariacum datum Benignianis à Guntranno Rege. 124. A Clothario III eiſdem vindicatum. 186. 187. Auctum celebri quondam Virginum Monaſterio. 192. Nunc Prioratus virorum. 183
Launoii judicium quanti ponderis. 4. 5
Leo Armenus. 25
Leo Papa I. 6
Libros à ſe conſcriptos cur noluerit S. Dionyſius primis Eccleſiæ ſæculis in vulgi uſus traduci. 52. 53
Linus Papa. 33
Linus & Cletus fuerunt Summi Pontifices. 36. 37
Ludovici Pii Imp. Conſtitutio de honeſtate ſervorum Eccleſiæ, & de libertate eis concedendâ. 232
Ludovico VI Regi prædicit S. Bernardus mortem filii ſui Philippi. 198

M

MANUMISSIONUM formulæ. 230. 231
Marchiſia filia Guigonis Comitis Albonenſis & Margaretæ Burgundæ, uxor Guillelmi Pictavenſis, Comitis Valentini. 110. 145
Margareta filia Stephani Comitis Burgundiæ. 122
Marianus Scotus 34
Matthæus Dux Lotharingiæ. 204. 208
Matrona dicta etiam virgo. 75
Maximus. 28
Methodius Patriarcha CP. Pariſienſis Areopagitæ aſſertor. 4
Michaël Syncellus Hieroſolymitanus, quantus vir. 18. 19

Millenariorum error quando exortus. 57
Miracula librorum S. Dionyſii. 49
Molanus. 67
Morinus refellitur. 41. & ſeq.
Mulier, nomen ſexûs. 73

N

NATALIS Domini pro die reſurrectionis capitur à multis Patribus, & ab ipſo Paulo Apoſtolo. 6. 7
Nicephorus. 11
Nivardus S. Bernardi frater natu minimus. 173
Noviomagum in Galliis quadruplex. 225

O

ODO Valentinenſis Epiſcopus. 156
Opera ſua interpolavit S. Dionyſius. 61
Oroſius. 28
Οὐσίας & ὑποστάσεως vocum uſûs. 56

P

PETAVII error in anno obitus Roberti Regis. 7. 92
Petrus Halloix. 60. 61
Phlegon. 28
Pictavenſes Barones ex Comitibus Valentinis orti. 107
Plautus. 74
Procopius Tyrannus. 9
Proſper. 28

Q

QUADRIGA Regum quid Themiſtio. 15

R

RAYMUNDUS Pictavenſis Princeps Antiochiæ. 115
Raynaldus Comes Burgundiæ. 212
Raynaldus Comes Barrenſis. 209
Rainaldus Comeſtabilis Burgundiæ. 215

Remigius Remenſis ſacrorum Canonum non fuit tranſgreſſor. 6
Richardis Imperatrix. 87
Robertus de Monte. 112
Ruffinus. 32. 34

S

SALABERGA Abbatiſſa. 87
Savinianus Martyr Rilliaci in pago Trecenſi. 84
Siricius Papa. 6
Sirmondi error in epochâ Concilii Rotomagenſis ſub Anſberto. 7. Item in Valentiniano filio Valentis. 8. 9. 16
Sirmondus refellitur argumento ad hominem. 16. 17
Sirmondo malam fidem non tribuo, ſed humanum errorem. 13
Sozomenus. 75
Stephanus Metenſis Epiſcopus. 205
Sulpicius Severus. 28
Syncellus, Syngelus. 25
S. Syra, ſeu Syria Virgo, regio apud Scotobritannos genere orta, S. Fiacrii ſoror, Monialis in Eboriaco ſub S. Farâ Abbatiſſâ, Catalaunenſis Parthenonis Præfecta: ibi cæcitate percuſſa, viſum recipit ad S. Saviniani reliquias, in vico Rilliaco; ubi reliquam vitam agit, multis ægris, & præſertim calculoſis opitulari ſolita. 65. *& toto Opuſculo ſecundo.*
S. Syriæ effigies antiqua & religioſa. 93

T

TARTENSE puellarum Monaſterium Ordinis Ciſtertienſis primum. 202
Tecelinus S. Bernardi pater. 169. 173
Tertullianus. 28
Themiſtius. 9. *& ſeq.*
Theodorus Studita. 19. Ejus epiſtola ad Michaë-

Iem Syngelum Hieroſolymitanum. *ibid.*
Theophilus Imperator. 25
Thomas Aquinas totum loquitur Dionyſium. 49. 50
Thomaſſinus. 117
Timotheus ad quem ſcribit Dionyſius. 59

V

VALENTINIANI Juniores fuerunt duo. 14
Valentis filius unicus fuit Valentinianus Junior. *ibid.*
Valentinenſes Comites antiqui. 105
Valentinus Comes ex Pictavenſibus primus fuit Guillelmus. 107
Vaſſeburgius & Roſerius Lotharingicarum rerum ſcriptores redarguuntur. 203
Victor. 10
Victorius. 28
VVillelmus Tyrius. 113

Z

ZOnaras. 10
Zoſimus. *ibid.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ERRATA SIC CORRIGE.

Pag. 18. *lin.* 4. Galliis, *lege* Gallis. *Pag.* 41. *lin.* 4. Debrio, *lege* Delrio. *Ibid. lin.* 14. Moririnus, *lege* Morinus. *Pag.* 57. *lin. penultima* Herarchiâ, *lege* Hierarchiâ. *Pag.* 80. *lin.* 5. quo ad, *lege* quoad.